










DE MEDICINA ET MEDICIS

adversus

IATROMASTIGAS ET PSEUDIATROS

LIBRI II.

IN QVIBVS NON SOLVM GENERATIM MEDICINÆ ORIGO, PROGRESSVS, Dignitas, & Medici Officium prolixè asseritur: sed etiam particulatim tam Hippocraticæ & Galenicæ præstantia; quàm Empiricæ, Magicæ, Methodicæ & Paracelsicæ usus atque abusus excutitur:

OB RERUM, HISTORIARUM, ET QUÆstionum varietatem omnium Facultatum studiosis lectu nec ingrati, nec infructuosi:

AVCTORE

MICHAELE DöRINGIO, URAtislaviensi, Doctore, & Med. in Academia Giessena Professore.



GIESSÆ HESSORUM,

Typis Nicolai Hampelii, Typogr. Academ.

CIↃ DC XI.


STRENVIS, GENERIS Antiquitate, Virtutis Claritate, Eruditionis Gravitate, & multo rerum Usu Nobilissimis Viris:

DD.	Conrado Friderico Sigismundo Theodorico	à Niemitz / Fratribus Germanis, Hæreditariis auffm Burglehn groß Petrowitz.

Dominis Fautoribus suis singulariter colendis S. P. D.

Michael Döring D. Et Med. in Academia Giessena P.P.Ord.









Abula est, *Strenui & Nobilissimi viri, Domini Fautores honorandi*, fabula, inquam, est: fatuum cribro invento, (quod negligẽtia corruptum esse existimaverat) cœpisse foramina occludere: eo fine, ut usui aptum redderetur. Cùm verò in ipso esset opere, & foraminum multitudinem deprehenderet, laborq; susceptus minus feliciter succederet, cribrum abjecisse, & indignabundum dixisse: se non videre, qua parte obturare, quave pertusum relinquere debeat. *Fabula hæc est.*

At fabula ista de duobus tacitè admonemur. *Primum est*: ne opera aliqua suscipiamus, in quorum confectione defatigemur priùs, quàm ipsa ad finem perducere possimus. *Alterum*: satius esse, extremè vitiosa non attingere, quàm frustra emendare velle.

Utrumq; in elaboratione istius opusculi pœnè cõcurrere visum. Primùm enim cùm ante triennium nonnulla de *Medicinæ Origine, Progressu, Præstantia, Utilitate & Necessitate* summatim concepissem: atq; ex his quædam de Medicinæ Origine ac Progressu *pro Oratione mea inaugurali sub auspicium Lectionum publicarum in hac Academia in publico ac solenni congressu* proposuissem: amici quidam apud me hactenus institerunt, ut illa publici juris facerem. Cùm autem ea manca & mutila esse animadverterem: sub incudem revocare, in suos Libros, Sectiones, Classes

& Capita distinguere ; quæ inordinata videbantur in ordinem redigere; quæ deficiebant, supplere, &c studui. In quam quidem rem, quantum *à curis Academicis, laboribus Practicis, & aliis negotiis domestici* datum mihi est otium, ea ferè succisiva & subsecundaria tempora hoc semestri contuli. Quod dum facerem, apertè demum intellexi, quanti non solùm laboris & industriæ, verùm etiam ingenii & prudentia requireretur, ut Opusculum semel affectum feliciter & pro voto conficerem, neque in medio quasi cursu defatigatus à proposito turpiter desisterem. Etsi verò nec ingenio, nec prudentia tanta, quanta ad hāc rem necessaria esse videbatur, me pollere probè scirem utpote qui

Mecum habito, & novi, quàm sit mihi curta supellex:

illud tamen *Virgilianum* diligenter mecum pensitans,

——————*Labor omnia vincit*
Improbus;

animum non despondi: sed propositi tenax, laborem quidem industria frangere & superare ; ingenium verò & prudentiam labore tēporibus, uti dixi, subsecundariis compensare conatus fui. Ac licet id me moliri cognoscerem: cujus *Inchoatio Invidiam* ; *Continuatio Laborem* ; *Finis Odium* mihi paritura essent quibus verbis in quadam Epistola utitur *Seneca* : tamen nec ista abhorrui. Quippe invideat, qui volet Nam sic non mihi, sed sibi ipsi nocebit. Rectè enim *Socrates* Invidiam, dum ipsius naturā exprimere vellet, Animæ ulcus & serram appellavit. Sanctè enim affirmare possum : me in hoc Opusculo nemini bono, pio, & erudito molestum esse, multò minus i-

psiu

ius famam perstringere voluisse. Si cui molesta est
eritas, (quam me pro virili ubique quæsivisse profi-
eor) contra illum *Terentiano* isto me solor:

Obsequium amicos, Veritas odium parit.

Quin & *Horatianum* istud meum facio:

Ac ne fortè roges, quo me duce, quo lare tuter:
Nullius addictus jurare in verba Magistri,
Quò me cunq; rapit tempestas, deferor hospes.

Quod dum dico, non id dico: quasi cum quibusdam
Cornicum oculos configere velim, ut est in Adagio.
Non enim ignoro *Cornelii Galli* illud:

Eventus varios res nova semper habet.

Sed istud cum *Solone, Cleobulo, Plauto & Terentio* dico: quòd modus sit optimus; ac ne quid nimis. Nam ut monet *Ovidius*:

———————— *medio tutissimus ibis.*

Quod *Martialis* ita expressit:

Illud quod medium est, atq; inter utrumq; probatur.

Etenim hortante *Seneca*:

Quisquis medium defugit iter.
Stabili nunquam tramite curret.

Quorsum verò ista? dicet quispiam. Illò scilicet, ut ea, quæ *Primo Libro de Medicorum Sectis* à me prolata sunt, ab aliorum calumniis vindicarem. Neq; enim dubito: quin alii alia ex illis vituperaturi sint. Faciant autem isti quod licet, & quò ad quidem licet; siquidem aliter non libet. Facilè enim est demoliri, quod alius exstruxerit: at difficilimum, idem aut melius aliquid exstruere, *inquit Plutarchus in Moralibus.* Equidem è *Plauto*

———————— *Rationem dicam: quia qui*
Alterum incusat probri, ipsum se intueri oportet.

Satius erat, perpendisse *Roterodami* istud. Ut

 flum

flumina quædam, quæ cùm eadem sint, diversis in locis diversa sortiuntur nomina: ita quædam res in alio homine variis nominibus mutantur. Quod ut alibi tritissimum: sic in *Medicina*, uti appellatur, *Hermetica, Spagirica, aut Paracelsica*, receptissimum. In qua si citra ambitionem & præjudicium asseclæ versarentur: minus fortassis altercationum, minus cavillorum audiremus. Cui rei & eos, qui ex altera parte cõstituti sunt, operam dare convenit. Sic enim fiet, ut velut in velabro olearii, & remiges in navi: ita & hi invicem conspirent, ac tandem mutuas operas sibi tradant.

Cæterùm quod ad alteram τῆς ἐπιμυθίας partem attinet; qua dicebatur, satius esse, extremè vitiosa non attingere, quàm frustra emendare velle: ea contra *Secundum Librum* pręcipuè contorqueri posset. In hoc enim potissimas calumnias, & Hiberas nænias, ut in *Adagio* dicitur, quæ contra *Medicinæ Medicorumq́ præstantiam* spargi solent, quâ potui diligentiâ depuli. Quo ipso rem vanam & inanem operam neutiquam præstiti. An enim supervacuum sit, hominum, qui etsi rem aliquam destruere non possint, tamẽ jactationem ipsius incessunt, (quemadmodum in quodam loco scribit *Plinius*) temeritatem ac furorem reprimere? Sanè ad calumnias tacendum non est: non quidem, ut contradicendo nos ulciscamur; sed ne mendacio inoffensum progressum permittamus, aut eos, qui seducti sunt, damno inhærere sinamus. *Basilius*. Qua in re si quid scripto præsenti profecero: laboris suscepti nunquam me pœnitebit.

Vobis autem, *Strenui & Nobilissimi Viri*, duos istos *de Medicinæ Origine, Progressu & Præstantia* Libros in-

inscripsi; partim ne sine patrocinio in lucem prodirent: partim ut mei erga vos amoris, & jam à septennio contractæ ac continuatæ amicitiæ monumentum aliquod publicum exstaret. Quod etsi dudũ facere decreveram: præsenti tamen occasione commodior hactenus sese obtulit nulla alia. Exiguũ quidem est, & rude, quod offero. At cogitate: quanta inter ipsius elaborationem aliorũ negotiorum mole subinde fuerim turbatus & distractus. De Ursis tradit *Plinius:* quòd etsi fœtus informes pariant; tamen lambendo eosdem paullatim figurent. Idem de meo hoc qualicunque fœtu affirmare ausim. Rudis & ipse nunc est atq; informis: verùm si cura deinceps accesserit, ipséque adoleverit, non despero, quin cultior multò ac tersior evasurus, in lucẽ denuò proditurus, eandemq; animosiùs laturus sit. Interea igitur *patrocinium vestrum contra malevolorum morsus* (quibus hodiè nihil non exponi atque imperi videmus) ipsi ne, quæso, denegate, eundem animo benevolo suscipite. Vos quàm diutissimè cũ tota nobili familia salvi atque incolumes vivite, ac me pristino amore vestro porrò beate. Dabam Giessæ Hassorum Calend. Septembris, Anno M. DC. XI.



AD CLARISSIMUM ET EXPERIEN-tissimum virum Dn. D. MICHAELEM DÖRINGIUM, Collegam & amicum suum dilectissimum.

AH quoties medici concurrunt, corporis iste,
Hic animi, & partes iste agit, alter agit!
Hic consolatur languentes pectore, & uni
Christo ut se dedant, quo valet ore, monet.
Ille autem ex duplici depromit pharmaca theca,
Quæ Paracelsus habet, quæq; Galenus habet.
Scilicet ut pellat tristes è corpore morbos,
Ægrumq; à mortis conditione vocet.
Et potum Ægroto, & leges præscribit edendi,
Noxia ne bibat, ut noxia ne comedat.
Tu facis illa, animo Doctor carissime nostro,
Et flente Invidia sedulus ista facis.
Edocet hoc hujus doctissima portio libri,
Per quam immortalis, cùm morieris, eris.
Verùm ego cœlestis declaro oracula verbi,
Mosaicos edo Christidocosq; sonos:
Præmia quæ capio? scelerata calumnia rodit,
Et vitam, & vitæ me saturum esse jubet.
At tu vive diu, & melioribus utere fatis,
In votis nil te quod remoretur, habe.
Te Medicus medicum incolumem, sanumq; probumq;
Servet in æternum Christus Ihesus, AMEN.

Casparus Finckius, SS. Theolog. in Academ. Giessena Profess. Public. & Ecclesiastes.



DE ME



DE MEDICINA ET MEDICIS LIBRI PRIMI PARS I.

De Medicinæ origine, & progressu; In qua Sectiones quatuor: *Quarum Prima*

CAPUT I.

De Medicinæ Etymo & significatione.



Edicinæ *nomen à medẽdo ductum*, Heurnius l. 1. Inst. Med. c. 1. *hoc est, actione ipsa sub sensum maximè cadente. Vt enim actiones quò ad nos priores sunt ipsis habitibus, quorum* σύστημα *multiplex observatio, ad rationis normam redacta, peperit: ita quoq; nomina, actionum & passionum significativa, priora esse videtur nominibus habituum.* Zvingerus physiolog. Medic. lib. 1. c. 2. Medicinæ derivatio. I.

A Qua-

II. *Quare non accommodata est derivati*
quando Scribonius Zargus in Episto
la ad Cajum Julium Callistum *scribi*
Medicinam non à medendo, sed medica
mentorum potentiâ *atq; effectu admi*
rando ita appellatam esse. Nam sicut ars fa
brilis non à serra, vel malleo; verùm acti
fabricandi & fabro ipso deducitur: ita iden
de Medicina etiam cogitandum.

III. Antonius Codrus, *teste* Zvingero
cap. *ingeniosa quidem, sed nimis longè pet*
ta derivatione, à Medio *deducit Medicu*
quòd Medium, *hoc est, Temperantian*
suadeat, quà sanitas conservatur; & a
Medium, *hoc est, ad sanitatem, reducere*
studeat extrema, à medio per excessum v
defectum exorbitantia.

Eandem derivationem proponit Scali
ger in comm. super l. Hippocratis d
insomniis apotelesm. 4. *Quam sine du*
bio uterq; à Nicolao Perotto *desumpsit*
qui in Copiæ Cornu *à Medio deduxi*
Medicum & Medicinam, propterea, quò
mediis quibusdam, hoc est, temperatis rebu
Medicum mederi oporteat.

Medicinę vox totà *Quanquam verò Medicinæ nomē pro*
pri

...riæ parti curatrici, *quæ de morborum* *artem exprimit.*
...edela agit, competat: utpote quæ præ reli-
...uis ob necessitatem primum inventa fuit:
...ota tamen medendi ars nomen propterea
...on mutavit; Johan. Bapt. Montanus
...uæ Medic. parte 1. p. 91. & Heurnius
...oco allegato; *æquè ac Geometria nomen*
suum nũquam deposuit, quod olim invenit,
...dum Ægyptii terrarum limites annua Nili
...xundatione confusos, certa terrarum di-
...mẽsione unicuiq; restitueret. Strabo Geographicor. l. 16.

Medicinæ autem nomine nec pharmaca & remedia *cũ* Ovidio *tùm alibi passim, tum* l. 1. de Ponto Eleg. 2. *ubi hæc habentur;* Medicinæ significatio. I.

At puto, cùm requies, medicinaq; publica curæ
Somnus adest, solitis nox venit orba malis;

nec tabernam *vel* officinam medicamentariam *cum* Plauto in Amphitruone Actu 4. Scena 1. Epidico Actu 2. Scena 2. & Menæchmis Actu 5. Scena 7. *Sed medendi rationem intelligimus.* II.

Neque verò quamlibet res vel perfectas conservandi, vel imperfectas redintegrandi, vel amissas restituendi rationem intelligimus: Sed illum duntaxat animi habitum, III.

per quem morbis humani corporis mede-mur, & sanitatem eiusdem custodimus; ex-clusa Veterinaria *dicta &* Mulo-Me-dicinâ.


Caput II.
An sit Medicina?

Etsi ex iis, quæ modò dicta sunt, non ob-scurum esse possit, dari talem aliquem habi-tum: tamen eiusdem existentiam (de Præ-stantia *enim &* Necessitate *infrà* libri-duobus *fusiùs disseremus) vel hac ration-cum* Zvingero ibid. c. 4. *asserere libet.*

Quod naturæ ductu bruta etiam cogno-scunt, quodq́; constanti observatione ii, qu-inter homines propter sensuum integritat-& ingenii acumen primas sibi vendicant-verè esse deprehenderunt, illud secundùm-sensum simul & secundùm rationem dar-necessarium est. Atqui medicationum ve-actionum medicarum exempla Naturæ du-ctu bruta etiam cognoscunt, & homines cō-stanti observatione deprehenderunt. Erg-medicationum & actionum medicarū ex-empla secundum sensum simul & secundum-rationem dari necessarium est. Minori-*propositionis veritas ex iis, quæ* sect. 3. c. 4-*deinceps dicentur, satis elucebit.* *Por*

Porrò quarum actionum exempla certa ſint, earundem certas quoq; cauſſas dari neceſſe eſt. Atqui actionum medicarum exempla certa ſunt per concluſionem præcedentis ratiocinationis. *Ergo actionum medicarum certæ etiam erunt cauſſæ.*

Iam quarumcunq; actionum certæ ſunt cauſſæ, earundem cauſſarum iuſta cognitio in animo cognoſcentis habitum quendam gignit, iuxta cuius præſcriptũ ſimiles actiones is exercere poſſit. Atqui actionum medicarum certæ ſunt cauſſæ, ſecundum concluſionem præcedentis item ſyllogiſmi. *Ergo actionum medicarum cauſſarum iuſta cognitio in animo cognoſcentis habitũ quendam gignit, iuxta cuius præſcriptum ſimiles actiones is exercere poſſit: quod demonſtrandum fuit. His ſuppoſitis, de* Origine & Inventoribus Medicinæ *dicendum.*



SECTIONIS SECUNDÆ
CAPUT I.
De Medicinæ Origine & Inventoribus secundum scriptores profanos.

Artium inventiones vel Deorum filiis, vel quibusdam ipsorum propinquis, quibus Dii primi artem communicârunt, Græci ferunt acceptas. Hac igitur ratione & Æsculapius. *Æsculapius Medicinæ (quam primus ab Apolline patre institutus hominibus tradidisse dicitur) inventor extitisse;* Hippocrates in jurejurando, Galenus in Introduct. c. 1. & lib. 1. meth. med. c. 1. *ac propterea in Deorum numerum cooptatus esse creditur.* Celsus in proœm. l. 1.

Alii tamen, ut sunt Valleriola l. 1. loc. comm. c. 1. & Heurnius in Oratione de Medicinæ Origine, *aliam hujus rei caussam cum è* Pausania l. 2. Corinthiacor. *tum aliis scriptoribus adferunt. Nempe quòd Hippolytum, Thesei filium, patrem (qui dolo novercæ persuasus de ipsius nece cogitabat) curru conscenso fugientem, & ab equis (Phocis in mare magno impetu se præcipitan-*

citantibus) perterritis, loris infeliciter impacitum, & in partes discerptum, vulgi persione sua arte in vitam revocaverit. Vnde evenit, ut Hippolytus, mutato nomine, Virbius (quasi bis vir *fuisset) appellatus posteà sit. Vide* Ovidiũ l. 15. Metamorph. lib. 15. *quo loci res hæc prolixiùs tractatur.*

Plinius l. 29. c. 1. *Tyndaridem ab eodem ad vitam revocatum, & propterea Æsculapium fulmine ictum nonnullos finxisse scribit. Hoc tamen ob Hippolytum evenisse* Virgilius l. 7. Æneidos *circa finẽ his verbis auctor est:* Causa mortis Æsculapii.

Namq; ferunt fama Hippolytum, postquam arte novercæ
Occiderit, patriasq; explêrit sanguine pœnas,
Turbatis distractus equis: ad sidera rursus
Ætheria, & superas cœli venisse sub auras,
Pœoniis revocatum herbis, & amore Dianæ.
Tum pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem Medicinæ talis & artis
Fulmine Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.

Cùm autem Apollo *filii mortem graviter ferret, ac magnoperè lugeret; lacrymas ipsius in* electrum *conversas fuisse crediderunt: ut ex* l. 4. Argonaut. *Apollonii refert* Natalis Comes Mytholog. l. 4. c. 11.

Non defuerunt tamen, inquit Natalis Comes ibidem, *qui locū fabulæ de Æsculapio datum fuisse tradiderunt, quòd mortuos ab inferis revocaret: quia nonnullos, quorum spes vitæ conclamata esset, per vim medicamētorum sanitati restituerit? Quod ipsum tradit* Diodorus Siculus Bibliothecæ Hist. l. 4. pag. 273. *editionis Laurentii Rhodomanni.*

Quare fabulati sunt antiqui, Plutonē *apud Iovem conquestum fuisse, quòd suum imperium* Æsculapius *exinaniret. Idcirco fulmine à Iove percussum inquiunt. Id autem paulò ante Troiana tempora accidisse, ait* Natalis Comes ibidem.

Cyrillus adversus Julianum pro religione Christiana l. 6. *talem necis Æsculapii caussam proponit: Æsculapius, inquit, ubi sub Api præceptore in Medicina profecit, & in Ægyptiorum civitatibus ultrà morari noluit, lucri cupidus, & consiliis turpibus obnoxius, omnem circumivit orbis regionem, ab omnibus lucra petens, & studiū suum languentibus venale exhibens. Inflatus autem ob scientiam & superbiens, etiam Deum se nominabat, & mortuos se suscita-*

re

poſſe delirans imaginabatur. Veniẽs autem ad Epidauros, & illic ſummam ſibi gloriam arrogans, quendam ſe eſſe Deum, fulmine ictus eſt, pœnam illi digniſſimam Deo tentante, & per id, quod patiebatur, declarante, ſe nihil aliud omninò eſſe, quàm terram ac pulverem.

Pulchrè etiam l. 3. de Republ. Plato *id illud, quòd Æſculapius, poſtquàm auro inductus hominem pecunioſum, qui lethali morbo opprimeretur, reſtituiſſet, fulmine percuſſus ſit, reſpondet: Si, inquit, Dei filius fuit, turpis lucri avidum fuiſſe nego: ſin turpis lucri avidus, Dei filium fuiſſe rejicio.*

Porro Valleriola l. 1. loc. comm. c. 1. *addit, Androgæum etiam, Minois filium ab Æſculapio luci ac vitæ reſtitutum: qui vel ab Athenienſibus & Megarenſibus per invidiam (quod palæſtra cæteros ſuperâſſet) occiſus: vel, ut ex aliis recenſet* Fuchſius l. 1. Inſt. Med. ſect. 1. c. 1. *à Marathonio tauro interfectus fuit. Atq; hoc ipſum* Propertius l. 2. Eleg. 1. *innuit, dum ſic ſcribit:*

Et Deus extinctum Creſſis Epidaurius herbis
Reſtituit patriis Androgeona focis.

His igitur perſuaſus, ſequentem in modum

Q. Serenus Samonicus in prooemio præceptorum medicorum *Æsculapium alloquitur:*

Tuq; potens artis, reduces qui tradere vitas
Nôsti, atq; in cœlum manes revocare sepultos,
Qui colis Ægeas, qui Pergama, quiq; Epidaurũ.

Æsculapio gallus sacer.

Idem de Æsculapio prodidit Xenophon post initium l. de venatione.

Hinc fortassis consuetudo illa manavit, ut Æsculapio prisci gallum *diei solisq; nuncium sacrificarent.*

At Cœlius Rhodiginus lect. antiq. l. 16. c. 12. *scribit, ideò priscos Æsculapio Gallum sacrificasse, ut testarentur, se divinæ beneficentiæ, morborum omnium curatrici, diem, hoc est, vitæ lumen debere.*

Natalis Comes l. c. *ob vigilantiam ipsi sacrificatum existimat.* Hæc de Æsculapio.

Apollo.

Quia vero sub capitis hujus initium *dictum est, Æsculapium ab Apolline, Iovis & Latonæ filio, Medicam artem didicisse: propterea Apollo apud* Ovidium l. 1. Metamorphos. fab. 13. *ita loquens, ac Medicinæ inventionem sibi attribuens introducitur;*

Inventum Medicina meum est, opiferq; per orbẽ
Dicor, & herbarum subjecta potentia nobis.

Et

t Q. Serenus *carmen suum ita orditur:*
Phœbe saluriferum, quod pangimus, assere carmen,
Inventumq; tuum prompto comitare favore.

Ab Apolline Medicina ars apollinea *vocata fuit. Sic enim* Ovid. l. 3. trist. eleg. 3.
Non domus apta satis, non hic cibus utilis ægro;
Nullus Apollinea qui levet arte malum est.

Vectius apud Macrobium l. 1. Saturnal. c. 17 *per Apollinem ipsum solem intelligendum esse monet: cui medendi potestas ideò attributa sit, quòd temperatus solis calor omnium morborum fuga sit.*

Alii Arabum Apollinis ex Babylone filiū, Medicinam primùm reperiisse voluerunt, ut est apud Plinium l. 7. nat. hist. c. 56. Arabus.
Ægyptii, teste Diodoro Siculo Bibliothecæ Hist. l. 1. pag. 22. *editionis Rhodomanni,* Isidi *medicaminum multorum inventionem vendicarunt.* Isis.

Polydorus Virgilius l. 1. de rer. invent. c. 20. & Valleriola loco, *quo supra, è Diodoro Siculo, Mercurium Medicinæ repertorem faciunt, ob id forsitan, quòd ab eodem* l. 1. pag. 14. *corporis decorè effingendi studiosus artifex fuisse dicitur.* Mercurius.

Medicinæ tamen fuisse peritum illud arguit,

gnit, quòd Oleam, testimonio Diodori Siculi ibid. pag. 15. *invenerit:* Moly *herbã illam laudatissimam, & contra venena præsentissimã, ostenderit:* Homer. Odyss. χ. Plinius lib. 25. c. 4. *& Mercurialis herba appellationem ab ipso sortita sit.* Plinius ibidem c. 5.

Vnde proculdubio factũ est, ut cùm tàm Æsculapius, quàm Mercurius, Numine illustrante, opere uno ad metam unam, tanquam eodem calle ad eundem itineris festinarent terminum, coniunctissimi evasisse dicerentur: perinde atq; Zoroaster & Arimaspes, Orpheus & Museus, Pythagoras & Aglaophemus, Plato & Dion priùs, mox & Xenocrates. Cœlius Rhodiginus lect. antiq. l. 23. c. 4. *Veteres Apim Ægyptium, teste* Polydoro Virgilio l. c. *Æstylus, auctore* Natali Comite l. suprà allegato, *Prometheum;* Homerus *Pæonem Medicinam primùm invenisse ait.*

Apis. *De* Api *hæc leguntur apud* Cyrillum l. 6. pro religione Christiana adversus Julianum Cęsarem: *Cùm Apis Ægyptius non obscurus inter eos, qui illic erant, templi ministros, naturalis philosophiæ scientiam adeptus*

adeptus eſſet: hunc ferunt primùm artem medicam exquiſiviſſe & tradidiſſe feliciùs, quàm eos, qui eum præceſſerant, communicaſſeq́ Æſculapio.

De Pæone verò hæc Homerus Odyſſ. *Δ. ſcriptum reliquit:* Pœon.

Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων
Ἀνθρώπων. ἦ γὰρ παιήονός εἰσι γενέθλης:

hoc eſt, Medicus unusquiſque ſupra omnes homines peritus: quandoquidem è Pæonis ſunt familia.

A Pæone Medicina appellationē traxit, ut Ars Pœonia *poſtmodum diceretur.*

Pæonem autem poſt obitum in Deorum numerum relatum: & ne ocioſus eſſet, Deorū medicum conſtitutum eſſe, fabulati ſunt, ut è Zvingeri Theatro *refert* Langius in Polyanthea ſub tit. Medicinæ *inter exempla profana.*

Vt ut autem ſit & quicunq́ etiam è prædictis Medicinam primitùs repererit: illud tamen conſtat, vel Deorum filios, vel quoſdam ipſorum propinquos, quibus Dii primi artem communicarunt, ipſos extitiſſe. Hinc Plinius lib. 29. nat. hiſt. c. 1. *Diis, inquit, primùm inventores ſuos Medicina aſſignavit,*

vit, & cœlo dicavit. Nec non & hodiè multifariam ab oraculis Medicina petitur. Idē Hippocrates l. de vet. Med. t. 24. dist. Comarii *suo etiam calculo comprobat.*

CAPUT II.

De Medicinæ origine secundum scriptores sacros.

Hactenus Ethnicorum de divino Medicinæ ortu & inventoribus testimonia excussimus: quibus omnibus multò luculentius & fide dignius est, quod Ecclesiasticus *suggerit, quando* c. 38. *divini spiritus instinctu in hæc verba erumpit*: Honora Medicũ propter necessitatẽ. Nam illum creavit altissimus. A Deo est omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu Magnatum collaudabitur. Altissimus de terra creavit Medicinam, & vir prudens non abhorrebit ab ea. Nonne à ligno indulcata est aqua amara?

Et paulò pòst: Da locum Medico. Illum enim Dominus creavit, & non discedat à te, quia opera ejus sunt necessaria. Est enim tempus quando in manus ipsius incurras. *Vbi*

Vbi notanda verba illa Ecclesiastici, *dum ait;* nonne à ligno indulcata est aqua amara? *Petita enim sunt ex* Exodi c.15.v.25.& Esdræ l.4.c.1.v.23. *E quibus palàm ostenditur, Medicinam à Deo admodum fuisse probatã. Cùm enim idipsum vel solo nutu, aut verbo facere potuisset; Medicinæ tamen opera facere maluit.* Tiraquellus Tomo 1.de Nobilitate c.31. §.79.

Caput III.

De Medicinæ cultoribus.

Ergo cùm priscis illis temporibus Medicinam divinitùs concessam homines agnoscerent, & ipsam propterea maximi facerẽt; multos non solùm sanctos, sed & principes viros operam ei dedisse legimus.

E sanctis, ne quid de Moyse *&* Esaia *dicã, primo loco occurrit Propheta* Elisæus: *qui aquas pessimas in Hiericho salubres,* l. 4. Regum.c.2.v.21. *& colocynthidas suaves fecit mediis medicis,* ibidem cap. 4. vers. 41. Sancti Medici.

Syracidem quoq; Medicinæ fuisse gnarũ illud persuadet, quando Ecclesiastici c.31. v.25, *illi, qui cibo se nimiùm onerare coactus est,* Vomitus utilitas.

eſt, id conſilii dedit, ut ventrem per vomitũ viciſſim exoneraret. Hac enim ratione multa mala averti Hippocrates de Diœta l.3.t.4.diſt. Cornarii, Paulus Ægineta l.1.c.42. Celſus l.1.c.3. Avicenna l.1. fen.4.doct.5. c.13.& l.3. fen. 13. tr. 2.c. 35. & Rhazes l. 4. ad Almanſor. c. 16. *tradiderunt. Quæ cauſſa fuit, ut illos, in quorum ventriculis multi humores vitioſi aut pituitoſi colliguntur, ſi non bis, ſemel tamen ad minimum ſingulo menſe vomere juſſerint.*

Præterea Syracides *eo ipſo etiam peritiam medicam ſatis oſtendit, dum* c. 37. v. 33. & ſeqq. *ita ſcribit. Noli avidus eſſe in omni epulatione, & non te effundas ſuper omnem eſcam. In multis enim eſcis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit uſque ad Choleram. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam.*

Et certè quanta mala crapulam excipiat, infra l. 3. parte 1. *dicetur.*

Adhæc Lucam Evangeliſtam *Medicinæ non fuiſſe neſciũ, ex illo fortaſſis* Pauli in Epiſt. ad Coloſſ. c. 4. *probari poſſet, dum*

lum Lucam Medicũ ipſos ſalutare ſcribit: niſi quis non Evangeliſtam, ſed alium aliquem ab Apoſtolo intelligi dicat; præſertim cùm articulum λουκᾶς ὁ ἰατρός, veluti diſcernendi cauſſa addiderit.

Inſuper D. Ambroſium medendi rationem quoq; calluiſſe, vel illud docere poteſt, quòd peculiaris Syrupus exſtet, qui ab ipſo denominationem traxit, & D. Ambroſii Syrupus appellatur; atq; è milii decorticati, & ex aqua fontana decocti, juſculi colati partibus quatuor, vini autem albi meracioris partibus duabus paratur. Syrupus Ambroſii.

Eum in febribus tertianis ad ſudorem in declinatione ciendum, & ſitim ſedandam unicè commendat Antonius Guainerius in l. de febrib. ſub titulo de Tertiana Intermittente c. 1. Idem ad paralyſin curandam conſil. inter Cratoniana 50. & hydropem expellendum ibidem conſil. 131. apprimè utilis eſſe ſcribitur.

De Sanctis Medicis nihil addo: ad Principes accedo.

Ælianus enim de hiſtor. animal. l. 2. c. 18. auctor eſt, Principibus tantùm viris olim Medicinam facere, atq; ad poſteros propagare Principes Medici.

pagare licuisse. Quamobrem (ne quid amplius dicam de iis, qui hac *ipsa* sectione capite 1. *recensiti sunt,* & sectione sequenti capite 1. *per occasionem recensebuntur) Sabor & Ginges Medorum Reges, Sabiel Arabum, Mithridates Persarum, Hermes Ægyptiorum, Mesues Damasceni Regis nepos, & Avicenna (quem nonnulli Cordubæ Principem fuisse prodiderunt) Medicorum appellationem non reformidarunt.* Cœlius Rhodiginus lib. 28. lect. antiq. c. 11.

Salomonem, Regum omnium sapientissimum, Medicinæ fuisse peritissimum, ex iis abunde patet, quæ leguntur l. 3. Regum c. 4. & lib. Sapientiæ c. 7. *Eundem de viribus simplicium libros quosdam conscripsisse* è Josepho l. 8. antiq. c. 2. *colligitur. Qui cùm homines plus herbarum viribus, quàm Deo ipsi confiderent, ab Ezechia Rege remoti sunt.* Tiraquell. è l. Zeror Hammor Tomo 1. de Nobilitate c. 31. § 118.

Caput IV.

De medicorum præmiis & honoribus.

Vt autem Reges & Principes ipsos Medicos,

s; ita non minùs Medicos excellentes Cæ-ribus & Principibus charissimos, magna-bus plebiq; universæ acceptatissimos fuisse vimus. Qua sanè occasione evenit, ut cùm areorum annulorum ius apud veteres Ro-anos nemini præter Senatores atq; Equi-s permissum esset; ab Augusto *cum vitæ riculo ægrotante, verùm ab* Antonio Musa *artis dexteritate restituto, eorundem annulorum usus Medicis concessus fuerit, ut* Dione *refert* Cœl. Rhodig. lect. an-q. l. 6. c. 12.

Aurei an-nuli.

Multos prætereo Medicos, celeberrimosq; ε iis Cassios, Calpitanos, Aruntios, Albu-os, Rubrios: quibus CCL. HS. annua mer-de fuêre apud Principes. Plin. l. 29. c. 1.

Nil dico de Melampode: nihil de Erasi-rato; nihil de Galeno; nihil de aliis innu-eris.

At quæ hodiernorum Medicorum con-itio? Nimirum quando homines ægrotant,

Pollicitis dives quilibet esse potest:

t spe & pollicitatione Medicos inescent. bi verò, divina annuente gratia, magno um periculo, & Medici labore multo vix andem convaluerunt:

Sanatorũ ingratitu-do.

Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benignè est.

Et solet ab ipsis ut plurimùm diligenter ob-servari Cratis Thebani, *inter Diogenis discipulos sapientissimi, Ephemeris illa vulgatissima, ita se habens: Ponito coquo minas decem, medico drachmam, assentatori talenta quinque, consiliario fumum, meretrici talentum, Philosopho triobolum.* Laertius l. 6. in vita Cratis.

Quin quod magis dolendum; pro labore sæpè opprobrium; pro gratia exilium reportant.

De Alexandro Magno scribit Plutarchus in Alexandro, *quòd is Glaucũ Medicum, Hephæstione febricitante, & ob malam diætam, præter Glauci severum edictũ mortuo, in crucem egerit. Hem dignum fideli curatione præmium!*

Gratiores fuerunt illi, quos olim divinis honoribus, delubris excitatis, Chironem, Machaona, Podalirium, Hippocratem, *ob artis præstantiam coluisse accepimus. Scilicet suus tunc temporis Medicinæ constitit honos, sua existimatio: quam* Homerus Iliad. λ *hoc versu expressit;*

Ιητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων·

hoc

oc est, interprete Eobano Hesso;
Vir Medicus siquidem multis virtutibus unus
Prævalet ante alios multos.

SECTIONIS TERTIÆ
Caput I.
De primorum Medicorum medendi peritia.

Quanquam illi, qui primitùs medendo inclaruerunt, quandam potiùs herbariam experientiam, quàm medendi artem novisse videntur: Deorũ tamen filii à Græcis appellati sunt.

Talem Chiron Centaurus, Plutarchus l.3. sympos. probl. 1. *Saturni & Phyllira filius*, Plinius l.7.c.56. *& qui hanc ab ipso edocti fuerunt, Heroës noverunt*. Galenus in Introduct. c.1. Chiron.

A Chirone Panaces Chironium & Centaurium *nomen accepit*. Plinius l. 25.c.4.& l.26.cap.14. *eò videlicet, quòd cùm Herculis, excepti hospitio, arma pertractanti sagitta excidisset in pedem, Centaurea curatus dicatur*. Plin. l.25.c.6.

Ab eodem ulcera *quædam* Chironia *appellata, quòd ægrè curabilia sint*, Galen. lib.6. de compos. med. s. genera c.1. *ac*

proinde Chirone Medicinæ peritiſſimo indigeant, Ægineta l. 4. c. 46. *à vero non videtur alienum.*

Adhæc quæcunq; Ariſtæo, Melampodi & Polyido *adſcribuntur, experientiam quandam habuêre.* Gal. in Introduct. c. 1. *Quæ cauſſa fuit, ut cùm Melampus Prætidas, Thraciæ mulieres, helleboro ab inſania liberâſſet, medicamentũ ex helleboro confectũ* Melampodium *nuncupatũ ſit, veluti ex aliis recenſet* Heurnius in Oratione de Medicinæ origine. *In huius autem meriti gratiam à Rege Argivorum Anaxagora, Megapenthis filio, duabus regni partibus donatum,* Diodorus Siculus Bibliothecę Hiſt. l. 4. p. 271. *tradit.*

Melampus.

Agenor.

Agenorem quoq; eandem herbariam medendi rationem calluiſſe, illud argumento eſt, quòd Tyrii plantarum primitias ipſi obtulerint. Radices enim plantarum erant, quibus ægrotos ſanavit. Plutarch. lib. 3. ſympoſ. problem. 1.

Hercules.

Herculem etiam mederi ſciviße, præter id, quòd à Chirone educatus & inſtitutus dicitur, Heraclea herba *ab ipſo inventa & denominata fidem facit.* Plinius l. 25 cap. 4.

Nihil

Nihil jam addo de Lysimacho, à quo Lysimachia; *nihil de Clymeno, à quo* Clymenos; *nihil de Gentio, à quo* Gentiana, *Plinius* l.25.c.7. *& Dioscorid.* l.3.c.3. *nihil de Eupatore, à quo Eupatorium nomen accepit.* Plin.ibid.c.6.

A Chirone medendi experientiam edoctus Achilles; Plutarchus lib.5.sympos. probl.4. *à quo* Achilleam *herbam denominatam, eaq́; Telephum ab ipso sanatum, docet* Plin.l.25.c.5. Achilles.

Ab hoc institutus Patroclus, teste Homero Iliad.λ. Patroclus.

Iasonem quoq; à Chirone institutum: & post Iasonem ab eodem Æsculapium etiam informatum, testatur Pindarus in Nemeis Ode 3. *quantumvis diversum sentire videatur Galenus, ut* sectione præcedente c.1. *dictum est.* Jason.

Caput II.

De Chirurgiæ inventione.

Ab Æsculapio *patre (quem rudem adhuc & vulgarem istam medendi notitiam paullò subtilius excoluisse* Cels. in proœmio l.1. *affirmat) Machaon & Podalirius eandem hauserunt,* Homerus Iliad.Δ. *at-* Machaon & Podalirius.

que Agamemnonem Ducem secuti, Græcis Troiam oppugnantibus, operam utilissimã ipsa præstiterunt.

Hos autem nec in Pestilentia, nec variis aliis morborum generib. quicquam auxilii hominibus attulisse; sed vulneribus duntaxat ferro & medicamentis mederi solitos esse, Homerus *suo comprobat testimonio.*

Cumq; vulneratos in præliis singulari industria curarent, tantum gloriæ suis meritis apud Græcos sibi comparârunt, ut à conflictibus, aliisq; publicis gravaminibus immunes præ cæteris essent. Diodorus Siculus Biblioth. hist. l. 4. p. 273.

E quibus manifestum fit, primos illos Medicinæ cultores Chirurgiæ *ferè primam operam dedisse, atq; hanc præ aliis Medicinæ partibus primùm invenisse & excoluisse: utpote quæ sensui sit propinquior, ac proinde cognitu facilior.* Fuchsius l. 1. Inst. Med. sect. 1. c. 1. *Sequentia enim eius (mirum dictu!) in nocte densissima latuêre, ad Peloponnesiacum bellum usq;.* Plinius lib. 29. nat. histor. c. 1.

Chirurgiæ ruditas.

Chirurgia autem hæc rudis omninò fuit, ac valde dura. Patroclus enim, referente Home-

Homero Iliad. λ. *Eurypylum telo sauciatum sanaturus, primùm cultro telum excidit, mox sanguinem aqua tepida abluit, & radicem amaram, manibus contritam, imposuit: qua dolores mitigati, vulnus siccatum, & sanguinis effluvium sedatum fuit.*

Præterea valdè rudem tunc temporis Chirurgiam *fuisse, illud etiam argumento esse potest, quòd, ut è* Platonis de Rep. dialogo 3. *liquet, filii Æsculapii poculum, saucio Eurypylo Patrocli iussu oblatum, non damnârunt; cùm tamen in eo mixta esset Pramnio vino farina, & insuper attritus caseus. Quæ omnia absurda profectò sunt, & ita affecto minimè conveniunt.*

Caput III.

De remediorum ad morbos internos inventione; & gentium quarundam ægrotos sanandi consuetudine.

Cùm homines ob mollitiem, desidiam, & in victu luxum, lacunarũ instar, aqua flatuq; exuberantium, nimis oppleti, præter externos internis quoq; morbis variis corriperentur, quales Æsculapii tempore non erant, Plato de Republ. Dialogo 3. *cæ-*

perunt tandem & his morborum generibus remedia paullatim ac successivè eruere, ipsaq́ fida experientia comprobata cum aliis communicare.

Babylonii. *Communicabant autem ista gentes nonnullæ invicem tali ratione. Nam ut* Gal. in Introduct. c. 1. *post Herodotum* l. 1. *& Plutarchũ* in tractatu, *qui inscribitur*, Num rectè dictum sit, λάθε βιώσας, *tradit; quondam apud Babylonios, ægris per compita palàm expositis, illos, qui vel iisdem morbis aliquando laboraverant; vel alios ex iis laborantes curaverant, referre solitos, quibus usi sanitatem vel ipsi recuperaverint, vel aliis restituerint.*

Bastetani. *Eandem consuetudinem Bastetanos & Ægyptios olim observâsse testatur* Strabo l. 3. Geograph. *Sunt autem Bastetani homines montani, qui id Hispaniæ latus incolunt, quod ad Aquilonem spectat.* Polydorus Virgilius de rer. Inventor. l. 1. c. 20.

Hûc aptissimè quadrat historia de Gonella, ioculatore maximè comi: quam Auctor sphingis philosophicæ c. 34. è Pontano *transcripsit his verbis.*

Historia. Gonella *aliquando à* Nicolao Marchione

chione *Ferrarienſi interrogatus, quarum-iam ſive artium, ſive facultatum in Vrbe Ferraria maior eſſet numerus? confeſtim reſpondit: quis dubitet, Medicorum maiorem eſſe numerum? Tum* Nicolaus: *O inanem hominem, & urbis huius artium artificumq́; ignorantiſſimum! quippe cùm vix duos treſue ad ſummum Ferraria Medicos habeat, ſive cives, ſive exteros. Ad ea* Gonella: *O principem maioribus rebus deditum, qui ob eas urbem ſuam ſuosq́; cives ignoret penitiſſimè! Tum* Nicolaus: *quid ſi hoc ipſum falſum ſit? quod aſſeris. Tum* Gonella: *quid ſi ego verus? Ibi ſive pœna, ſive mulcta ex compacto ei, qui vanus eſſet inventus, conſtituta. Igitur inſequenti die ſub auroram* Gonella *pro templi adſtans foribus, obvoluto pellibus ore ac gutture, interrogantibus, qui in templum ingrediebantur, quonam morbo laboraret: reſpondebat ſingulis,* dentium dolore; *ſingulis etiam remedium aliquod dolori præbentibus, quorum ipſe & nomina conſcribebat, & remedia. Atq; hac ratione urbem perreptans, perſcrutandoq́; remedia, ſingulos, qui obviam fierent, percunctatus, ſupra trecentos homines,*

nes, Medicinam dolori tradentes, notavit in tabella. Quo facto, regiam ingressus, qua hora Nicolaus *prandebat, sese obtulit involutis & ore & cervicibus, ingentem dolorem simulans.* Nicolaus *astu viri parùm cognito, cùm intelligeret, illum haud benè valere à dentibus: Hoc statim, inquit, remedium adhibe; laudabis* Nicolaum. *E vestigio enim sanus eris. His* Gonella *acceptus, domum regressus tabulam instruit, remedia illa remediorumq́ue auctores continentem: ac* primo loco Marchionem *adscribit, inde alios atque alios, delectu habito. Tertio die quasi sanus atque à dolore liber, nudata gula ac cervicibus, Principem adit; docet, quæ cõquisita & comprobata fuerint; mulctam ab ipso expostulat: atque in ius illum sese adacturum minatur; & his dictis, tabulam Marchioni legẽdam exponit. Ibi* Marchio *primum inter Medicos locum sese obtinere conspicatus, inde alios atque alios primates viros, à risu continere se nequivit: seq́ue victum confessus, pecunia illi ut solveretur, imperavit.*

Vulgi εὐπόεισα. *Vbi illud dissimulandum non est, quòd sæpè vulgus non inepta habeat* εὐπόεισα: *quæ huic*

huic, illive morbo utilissima esse solet. Quæ tantum abest, ut Medicus aspernari debeat, ut potius in ipsa diligenter ipsum inquirere, vel de Hippocratis præcepto l. præception. t. 2. dist. Cornarii, hodieq; deceat. Id quod Johan. Cratonem magni nominis Medicũ sedulò olim fecisse audivimus.

Ergo postquam homines ex observatione rerum, ea, quæ salubria aut insalubria visa sunt, probè notâssent; hujusmodi artem corpora curandi, Medicinam videlicet, confecerunt. M. Fabius Quintilianus lib. 3. Orator. Inst. cap. 2.

Caput IV.

De Medicinis ab animalibus monstratis.

Vt autem remedia plura olim ab hominibus inventa: ita etiam non pauca ab animalibus brutis monstrata & patefacta.

Quippe suffusos punctione restituendos capra docuit: quæ ex suffusione malè habẽs, junco aculeato in oculum adacto, visum recepit. Galenus in Introduct. c. 1. Suffusio.

Clysteris usum avis Ægyptia (quæ Ibis à Plutarcho in libro, utra animant, plus rationis habeant, terrestriáne, an aquatica? & Clyster.

Plinio

Plinio l. 8. cap. 27. *vocatur) monstravit. Hæc enim colli cute, tanquam clysteris utre, marina Niliq; aqua impleta, rostro aquam sibi ipsi per anum indidit, & homines ad clysteris usus imitationem quasi invitavit.* Galenus l. c. & l. de Venæsect. advers. Erasistr. c. 6.

Vomitus. *Vomitus ciendi utilitatem canis esu graminis ostendit.* Galen. ibid. *& ante hunc* Aristoteles l. 8. de hist. animal. c. 5. & l. 9. *eiusdem* c. 6. *item* Plinius l. 29. c. 4.

Ægyptii igitur sanitatis conservandæ gratia triduo se purgarunt, vomendo atque intestina eluendo: rati, omnes languores hominibus è cibis obtingere. Herodotus libr. 2.

Venæsectio. *Venæsectionis commoditatem* Plinius l. 8. c. 26. *Hippopotamum hominibus monstrasse tradit. Is enim assidua satietate obesus in littus exit, recentes arundinũ cæsuras speculatus: atq; ubi acutissimum videt stirpem, imprimens corpus, venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluvio sanguinis morbidum aliàs corpus exonerat, & plagam limo rursus obducit, donec vulnus conducatur in cicatricem.* Julius Solinus c. 45.

Eius-

Eiusdem utilitatem Galenus *in fœmi-*
[illegible]s quidem , à mensium stato & ordinato
[illegible]xu ; in viris autem , ab hæmorrhoidum
[illegible]ofluvio monstratam, adversus Erasistra-
[illegible]orum tergiversationes l. de Venæsect.
[illegible]dverſ. Eraſiſtr. c. 5. *affirmare non dubi-*
[illegible]vit : utpote quorum utroq; nimia & inu-
[illegible]lis sanguinis copia è corpore evacuetur.

Vnde si iuvenis quispiam, robustus ac ple-
[illegible]oricus, Angina vel Peripneumonia corri-
[illegible]atur, & venam ipsi Medicus secare nolit:
[illegible]m gruibus multò insipientiorem esse Ga-
[illegible]nus ibid. c. 6. *palàm professus est. Has*
[illegible]im æquè atq; aquilas prælongo usq; ad ul-
[illegible]mos terrarum terminos volatu tendere
[illegible]nspicimus, ut partim frigus, partim æstũ
[illegible]vitent, atq; adeò principium *illud* The-
[illegible]apeuticum *hominibus non obscurè insi-*
[illegible]uent, quòd contraria contrariis pro-
[illegible]ulſare *oporteat.*

Præterea nonne Creticæ capræ pastu di- Partus
[illegible]amni telis eiectis, gravidis partus ejicien- promo-
[illegible]i, & sauciatis tela extrahendi, hanc vim tio.
[illegible]erba istius mali obtinente, viam ostendêre?
[illegible]ristotel. l. 9. de hiſt. animal. c. 6. *Plinius*
[illegible]8. c. 27. *Plutarchus libro*, utra animãt.
[illegible]lus rationis habeant, &c. *Omit-*

Omitto nunc brevitatis studio plura alia: quorum virtutes ab animalibus aliquando monstratæ, & ab Aristotele, Plinio, Plutarcho *& aliis litteris consignatæ fuerunt.*

Caput V.

De Medicinis Casu repertis.

Sunt multa, quæ Casu quopiam ab hominibus inventa sunt.

Empyici. *Empyicos enim urendos & secandos esse, si alia ratione pus educi nequeat, benè præcepisse Hippocratem* l. 7. aph. 44. *Æginetam* l. 6. c. 44. *Ætium* tetr. 2. serm. 4. c. 57. *& Avicennam* l. 3. fen. 10. tr. 5. cap. 5. *nō solùm è Platone Comico in Cinesia probat* Galenus l. 7. aphor. comm. 44. *sed etiā* Plinius l. 7. c. 50. *historia singulari. Cùm enim Phalereus, deploratus à Medicis vomicæ morbo, mortem in acie quæreret; vulnerato pectore Medicinam invenit ex hoste.*

Paracentesis. *Paracentesin apud Hydropicos commodè & utiliter aliquando institui, rectè dixisse Hippocratem* l. de internis affectionib. t. 26. & seq. *secundum dist. Cornarii.* l. 6. aph. 27. *Galenum* l. 14. meth. med. c. 13. *Æginetam* l. 6. c. 50. *Albucasim* l. 2. c. 54. *& Medicos recentiores ad unū ferè omnes: exempla*

exempla docent hydropicorum, quium' ilico à natura perrupto, testibus Benivenio de abd. sanat. caus. c. 12. *Valleriola* l. 4. obser. 3. *Marcello Donato* de hist. Med. mirab. l. 4. cap. 1. *Ronsseo* Epist. Med. 2. *Schenckio* l. 3. parte 2. observ. 147. *Andr. Laurentio* Anatomiæ l. 6. c. 9. quæst. 9. *Guilielmo Fabricio* obs. chirurgic. centur. 1. obs. 47. *Item abdomine ex casu in lapidem aperto,* Savonarola Pract. maj. tr. 6. cap. 14. rubr. 10. col. 2. *& post hunc* Michaele Johan. Paschalio l. 1. meth. cur. c. 44. *sub finem; nec non alteri malitiosè cultro transfosso,* Rosseto de partu Cæsar. sect. 3. c. 3. *& aqua elapsa, sanitatē recuperaverunt.*

Plura curationum genera per Casum reperta non subiungo. Nonnulla enim alia libri hujus parte 2. sect. 2. class. 1. *adferentur.*

CAPUT VI.

De Ægyptiorum & Arabum Medicina.

Ægyptios Medicinæ fuisse studiosos præter id, quod c. 3. è Strabone *allatum est,* Ægyptii.

C Ho-

Homeri *quoq; testimonio confirmatur. Ita enim is* Odyss. Δ. *scribit:*

Αἰγυπτίη τῇ πλεῖστα φέρει ζείδωρος ἄρουρα
Φάρμακα, πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ
δὲ λυγρά: *hoc est,*

Fertilis Ægyptus rerum medicamina mista
Optima multa, simul deterrima plurima profert.

De horum usu Pythagoram *&* Democritum, *peragratis Persidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptiq; magis integra volumina conscripsisse, auctor est* Plinius l. 25. c. 2. *Vnde proculdubio manavit, ut Ægyptii Medicinæ inventionem sibi arrogaverint; de qua re apud* Plinium *legimus* l. 7. c. 56.

Hoc & similibus argumentis Macrobius *forsitan persuasus* l. 1. Saturnal. c. 15. *Ægyptum artium matrem appellavit: quas discendi gratia tot excellentes viri in eam peregrinationes susceperunt. Vt ita non immeritò quis mirari possit, quo zelo adductus sit* Cœlius Rhodiginus, *ut* lect. antiq. l. 16. c. 4. *Ægyptios ingenio parùm ad sapientiam nato fuisse, cum nonnullis asseveraverit.*

Inprimis Medicina adeò apud ipsos exculta fuit, ut singulorum fermè morborum, non verò plurium, medici extiterint; ac proinde

unde omnia propemodum plena Medicorum fuerint, referente Herodoto l. 2. *& Plutarcho* in Dialogo, quòd bruta ratione utantur. *Alii enim, inquit* Herodotus, *fuêre ocularii, curandis oculis constituti: alii capiti; alii dentibus; alii alvi partibus; alii morbis occultis.*

Arabes quoq; quantam operam non tàm in illustranda, quàm locupletanda Medicina præstiterint, ex Serapione, Avicenna, Averrhoë, Rhaze, Mesue, Haly, Halyabbate, Albucasi, &c. *satis liquet. Qui etsi à* Fuchsio Instit. Medic. lib. 2. s. 5. c. 5. *&* l. 5. s. 1. c. 11. *pessimè flagellentur; præter meritum tamen flagellantur.* Arabes.

SECTIONIS QUARTÆ, CAPUT I.

De Medicinæ Rationalis Ortu & dignitate.

CVm medendi illa experientia, de qua superiore sectione *dictum est, ratione vacua esset; & aliis* ratio *non parùm ad Artem conferre, atq; experimenta caussis firmare non solùm pulchrum, sed necessa-* Rationis necessitas.

rium omninò videretur; Galenus in Introduct. c. 1. *quippe sine quibus effectuum observatio infirma futura esset*: Rationẽ *demùm adjecerũt, & rerum naturæ cognitionem* (*sunt verba* Celsi in procem. l. 1.) *sibi vendicarunt, Artemq́ Ratione & Experientia constare asseruerunt.*

Hi igitur Logici, Dogmatici, & Analogistici, *hoc est, Rationales, Dogmatici & Ratiocinatores posteà appellati sunt.* Gal. loco allegato.

Hos hodie Sophistarum nomine vanissimus Agrippa l. de vanit. scient. c. 82. *traducit. Quasi circa voces potiùs, quàm res ipsas horum Medicina versetur: medendis ægrotantibus non admodum necessaria, ne dicat vel perniciosa; ut quæ hominum salutem sanitatemq́ ad contorta quædam sophismata releget potiùs, quàm ad syncera, quibus morbos mederi possint, medicamina: imò scholasticis syllogismis occupata, solitudinum, saltuum hortorumq́ nescia, ignoret herbas & Medicinam.*

At benè habet. Neque enim talis reverà est, qualis quidem ab Agrippa *falsò depingitur. Rationales enim Medicos non tàm*

circa

circa voces, quàm res ipſas verſari, ipſemet fateri cogitur Agrippa, *dum* Medicinā Rationalem *non infimam Philoſophiæ naturalis partem eſſe confitetur: quatenus circa rerum contemplationem verſatur. Et ſanè utiliſſimam eſſe* Medicinam Dogmaticam *nemo diffitebitur; qui, quæ deinceps fuſiùs dicentur, accuratiùs perpenderit.*

Caput II.

De rebus Medico Rationali cognitu neceſſariis.

Quia Medici Rationales *corporis, quod curandum ſuſcipiunt, naturā; omniumq́ue cauſſarū (quarum occurſu ſalubre, vel inſalubre redditur) virtutes Medico cognoſcēdas eſſe dicunt: idcircò tàm remotiorū & propinquorū corporis humani principiorū, quàm partium & earundem conſtitutionū, atq́ue hinc prodeuntium operationum; item* aëris, aquarum, locorum, vitæ generis, cibi, potus, conſuetudinis *& ſimilium peritiam in Medico requirunt: quâ ad morborum omnium cauſſas, & remediorū facultates inveniendas manu quaſi ducatur: isq́ue ſit, qui conferre & ratiocinari poſſit,*

huic generi caussæ hanc vim habens medicamentum adhibitum, natura esse aptum, ut certum aliquid efficiat.

E.g. *Si parti alicui inflammatione laboranti mederi debeat, ad caussarum inventionem progreditur.*

Inflammatio.

Primùm *igitur videt, ab humore aliquo naturæ modum excedente in partem illapso partem intumuisse; eodemque distendente in dolorem evectam.*

Postea *& ad illud attendit, num parti aliquid ampliùs influat; vel fluxus substiterit. Si etiamnum quid influit; refrigerantia & adstringentia parti admovet: Si verò fluxus desierit, humectantibus & laxantibus, seu digerentibus, quod in parte congestum est, educit.* Gal. ibid. c. 3.

Atque hæc præcipua sunt, è quibus (quantum quidem affectum præter naturam spectat) Medicus Rationalis *suas Indicationes desumit.*

Interim tamen non ad affectum solummodò; sed reliqua etiam, quæ Indicationem ab affectu desumtam vel prohibere, vel promovere possunt, ipsum respicere æquum est. Talia autem sunt, quæ paulò antè recensita fuerunt.

E quib. colligitur, quatuor ut plurimùm esse, quæ Rationalem Medicū *efficiunt: nēpe* naturæ inspectio, morborū caussarum investigatio, signorum (*quib. ad illarum inventionem ducitur*) æstimatio, *& tandem , quæ curationem digito quasi monstrat,* Indicatio.

Sunt autem Rationales Medici *inter* Empiricos *& (de quibus posteà dicetur)* Methodicos *quodammodò medii. Neque enim omnia utilia ex observatione aiunt deprehendi, quemadmodū profitentur* Empirici; *neq; rursus omnia per Indicationē inveniri, ut volebant* Methodici: *sed nonnulla ex observatione cognosci, ut mortifera & venenum morsu fundentia; nonnulla verò per Indicationem reperiri; ea videlicet, quorum caussæ non ignorantur.* Gal. l. de opt. secta ad Thrasybul. c. 8.

Ex observatione alexiteria quoque comperta sunt: quatenus sontibus & capite plectendis hominibus certa quædam venena propinata, & certæ itidem Antidoti experiundi gratia exhibitæ fuerunt. Alexiteria.

Fecit hoc sedulò Mithridates *Rex, ut de eo scribit* Gal. l. 1. de Antidotis c. 1.

Fecerunt idem alii: quorũ exempla proponit Matthiolus in com. ſup. l. 4. Dioſcorid. c. 73. *ubi docet, cùm quid Romæ* oleum Gregorii Caravitæ, *tùm Pragæ lapis* Bezoar *vim napelli venenatam depellendo præſtiterit.*

Nec crudele eſt, (ſicuti nonnulli obiiciũt) hominum nocentium, & horum quoq; paucorum, ſuppliciis remedia populis innocentibus ſeculorum omnium quærere. Celſus in procœmio l. 1.

Eſt autem Indicatio *(ut hoc obiter quaſi huic loco inſeramus) juvantis comprehenſio, ſimul cum comprehenſione nocentis adveniens, ſine Obſervatione aut Ratiocinio:* Experientia *verò eius, quod ſæpiùs & eodem modo viſum eſt, obſervatio atque memoria.* Gal. l. de opt. ſecta ad Thraſybul. c. 11.

Caput III.
De Medicinæ per Aſclepiadas propagatione.

Medicinam hanc Rationalem Aſclepiadæ *poſteris veluti hæreditariò ab Æſculapio acceptam tradiderunt.*

Poſtquam enim Troia capta eſſet, Podalirius

rius *tempeſtate Scyron Cariæ urbem delatus, ſcholam ibi aperuiſſe, & paternam artem docuiſſe; feciſſeq́ dicitur. Quæ Schola cùm inclareſceret, & Medicinæ magna acceſſio ſubinde fieret, in tres alias, quaſi Colonias,* (Rhodiam *ſcilicet*, Cnidiam *&* Coam) *diviſa fuit: è quibus toti deinde Græciæ, Aſiæ, & ad Perſidem uſque Medici provenerunt.* Medicorum Scholæ.

Hæ Medicinæ exercendæ, augendæ, illuſtrandæq́ ſtudio maximo ſemper opere ſe invicem æmulatæ ſunt: donec tandem Coa *reliquas ob celebrium artificum numerum, & ſcriptorum maieſtatem vinceret, ſuoq́ lumine obſcuraret.*

Rhodia *quippe primùm deficere cœpit; reliquis duabus ſuperſtitibus. At illi alia in Italia ſucceſſit; quæ & ipſa reliquas æmulata eſt, nec in paruo precio habenda ob* Philiſtionem, Empedoclem, Pauſaniam, *& horum ſectatores, ut eſt apud* Galenum, l.1. meth. med. c.1.

Viguit autem Medicæ artis ſtudium in una Aſclepiadū *familia annos plus mille: liberis parentum veſtigiis ſemper inſiſtentibus, & artis avitæ poſſeſſionem conſervantibus.*

tibus. Sic scilicet (*exclamat* Heurnius in Oratione de Medicinæ origine) *ars apud illos adolescebat, adolescens in suum robur* (*sunt verba* Valleriolæ loc. com. l. 1. c. 1.) *dignitatemq́ evehebatur, & incorrupta ad posteros transmittebatur.*

Caput IV.

De Hippocrate.

Ex Coa *Medicorum Schola demum prodiit etiam* Hippocrates; *ab Hercule quidem* (*à quo maternum*) *vigesimus; ab Æsculapio verò* (*à quo paternũ genus duxit*) *decimus nonus, ut* Soranus *ex Eratosthene, Pherecide, Apollodoro & Ario Tarsensi refert in vita Hippocratis: vel decimus octavus, ut* Pœtus in Epistola ad Artaxerxem *scripsit.*

Fuit autem is vir arte & facundia insignis; quod præconium Celsus *ipsi tribuit in* procem. l. 1. *speculationis subtilitate & verborum suavitate præstans, ut loquitur* Galenus l. 1. de semine c. 4. *admirabilis* l. 2. de Temperament. cap. 4. & lib. de Theriaca ad Pisonem c. 11. *non honoris aut gloriæ, sed veritatis amator,* lib. de atra bile c. 7. *tàm fallere, quàm falli nescius, &*

experi-

xperimenti certus, Macrobius lib. 1. in omn. Scipion. c. 6. *& in naturæ speculatione nulli inferior*, Gal. l. 2. de fac. nat. .9. *ut ipsius de natura rationum interpres Aristoteles fuerit*. l. 1. meth. med. c. 2.

Hic igitur omnibus facilè præcelluit, primus perfectam apud Græcos Medicinam in lucem protulit, in Introduct. c. 1. *primus omnium rectâ viâ institit*, l. 2. meth. med. c. 6. *omnium in Medicina bonorum, optimarumq́ disciplinarum dux nobis & auctor exstitit*, l. de præcogn. ad Posthum. c. 1. l. 3. de Crisibus c. 11. l. 1. de curatione ad Glauconé c. 1. ac l. de venæsect. adversus Erasistrat. c. 1. *primus medendi præcepta clarissimè condidit*, Plinius. l. 26. nat hist. c. 2. *primus, quod ad artis officia pertinet, prodidit*, Gal. l. de atra bile c. 1. *nec falsi quicquam, nec quod fieri non posset præcepit*. l. 3 meth. med. c. 2. *&* l. 1. de nat. fac. c. 13.

Hanc ergo ob causam omnium posteriorum judicio Æsculapii gloriam adeptus est, de subfigur. Empiric. cap. 13. *ut proinde ab ipsius dictione, tanquam Dei voce, dogmata sua* Galenus *subinde auspicatus*

catus sit, l.1. de usu part. c.9. *eiusdemq́ diligentiam omnes Medicos non gloriæ vel lucri, sed unius veritatis per se studiosos, imitari rectè iusserit:* l.6. Epid. com. 2. t. 24. *eò, quòd firmis ac certis demonstrationibus utatur.* l. quòd animi mores seq. temper. corpor. c.9.

NB. Breviter: *in Hippocrate pressa verborũ proprietas; concisa sententiarum subtilitas; veneranda sermonis antiquitas, & commẽdabilis artificii dignitas. Tanta huius fuit benignitas, nihil ut sciverit, quod nos nescire voluerit: tanta autem solertia & sapientia, ut quod ipse ignoraverit, post ipsum sciverit nullus.* Heurnius in Oratione de Medicinæ origine.

Sunt tamen hic nonnulla; quæ fortassis virgula indigeant censoria: de quibus nos (quia id extra institutum nostrum foret) hoc loco nihil.

Idem, cùm fuisset mos, liberatos morbis scribere in templo eius Dei (quemadmodũ notat Pausanias l.2. Corinthiac. lib.7. Achaicorũ sub finem & Strabo l. 8.) *quid auxiliatum esset, ut postea similitudo proficeret, exscripsisse ea traditur;* Strabo

l.14.

lib.14.atq; (*ut* Varro *apud nos credit*) *jam templo cremato, instituisse Medicinam hãc, quæ* Clinice *vocatur.* Plinius l. 29. c. 1.

Quòd si quid is medicando præstiterit, quàm gratus omnibus, & quanto in honore ac deliciis, præsertim apud Athenienses & Perdiccam Macedonum Regem fuerit, recensere vellem, Iliada texere cogerer. Ab illis enim Artis suæ dexteritate pestem *truculentissimam depulit; hunc verò ex a*more *erga Phylam, parentis sui Alexandri demortui pellicem graviter decumbentem, & ab aliis pro tabido falsò habitum, mirâ industria restituit.*

Illud tamen hoc loco dissimulandum nõ est; quòd ipsum Athenienses, Sorano *in vita ipsius auctore, Eleusiniis sacris secundum ab Hercule, tot monstrorum domitore, publicè initiarint, civem conscripserint, atque in Britanneo alimenta tùm ipsi, tùm posteris eius dederint.*

Illud verò admirandum, quod defunctò contigisse Soranus ibidem *scribit. Sepulchro enim ipsius diu post mortẽ apes insedêre mellificantes: quo melle infantium oris ulcusculis iuxta tumulum illito, nutrices ea*

per-


persanabant. Vt ita Natura ex ipsius sepulchro quasi clamaverit, per Hippocratem Deum hominibus veram Medicinam monstrâsse.

Caput V.
De Medicis post Hippocratem claris.

Post Hippocratem filii ipsius duo, Thessalus *Hippocrates &* Draco *Hippocrates claruerunt. Thessalus quippe Hippocrates, quæ lacera pater reliquerat, tanquam novus quidam Æsculapius, Virbii membra collegit, iisq́ ordinem dedit.* Heurnius *loco, quo suprà.*

Polybus *verò, Hippocratis magni Gener, post socerum Scholæ & studiorum curã suscepisse perhibetur.*

Post hunc Diocles Caristius *exstitit, ætate famaq́ secundus*, Plinius lib. 26. c. 2. *&* Praxagoras Cous *ex Asclepiadeis postremus. Ab hoc instituti* Philotimus *& Philotimus &* Herophilus Chalcedonius.



LIBRI

LIBRI PRIMI
PARS II.
De Medicorum Sectis:
In qua Sectiones quinque;
Quarum Prima

CAPUT I.
De primis Medicinæ novatoribus.

HErophilus *primus ab Hippocratica synceritate deflexisse creditur; usu scilicet Medicinæ ad verba garrulitatemque descendente. Sedere namque in his scholis auditioni operatos gratius erat, quàm ire per solutiones, & quærere herbas alias aliis anni diebus.* Plinius l. 26. c. 2.

De Herophilo hæc scribit idem l. 11. c. 37. prope finem & l. 29. c. 1. *Arteriarum pulsus in cacumine maximè membrorum evidens, index ferè morborum: in modulos certos, legesque metricas, per ætates, stabilis aut citatus, aut tardus, descriptus ab* Herophilo *Medicinæ vate, miranda arte, nimiáque propter subtilitatem desertus: observatione* Herophilus.

tamen

tamen crebri aut languidi ictus, gubernacula vitæ temperat.

Erasistratus. *Herophilum posteà secuti Chrysippus, & huius discipulus Erasistratus, Aristotelis filia genitus.* Plinius l. 29. c. 1. *Hic Antiocho Rege sanato C. talentis donatus est à Rege Ptolomæo filio eius.* Plinius ibidem. *Alibi tamen, utpote* l. 7. c. 37. *Cleombroto Ceo idem adscribit.*

Neq; verò innovata hæc Medicina statim deserta est. Refert enim Strabo lib. 12. Geograph. sub finem, *quòd sua ætate inter Laodicæam & Caruram celebris Medicorum Schola fuerit, ibi à Zeuxide & Alexandro Philalethe constructa; quemadmodum patrum suorum memoria Smyrnæ alia, Erasistratæorum, ab Icesio erecta. Illam autem scholam Herophili dogmata secutã ait* Heurnius in Oratione sæpiùs allegatâ.

Caput II.

De triplicis Medicorum Sectæ origine in genere.

Cùm igitur ex Æsculapidum *familia Medicina jam migrasset, in tres Sectas distracta fuit; aliis se* Rationales, *aliis* Methodi-

hodicos, *alijs* Empiricos novos *sese* *iactantibus. Quo ipso dicti illius pervulgati veritas abundè comprobata fuit: quòd* quantò quæque res præstantior est, tantò etiam errores deteriores semper sint, qui circa ipsam committuntur: *ut vel ex unius* Sacrosanctæ Theologię *exemplo apparet.*

Horum autem in Medicina errorum quãta sit cùm gravitas, tùm pravitas; paulis deinceps detegendum. Hac enim judicandi ratione usi, & istos errores singulos diligentiùs contemplati, cognoscemus: cui Sectæ tribus illis, ceu veræ ac salutari, cæteris posthabitis, adhærere debeamus, monente Galeno lib. de opt. Secta ad Thrasybul. cap. 7.

Caput III.

De iis, in quibus Sectæ prædictæ conveniunt.

Est autem secta nihil aliud, quàm certa quædam disciplinæ formula, à certis quibusdam hominibus, qui ipsi addicti sunt, approbata. Secta quid?

Ergo ut de Medicorum Sectis *rectiùs judicare possimus ante omnia sciendum, Se-*

ctas prædictas in nonnullis invicem cōsensisse, ut docet Galenus l. de Sectis ad eos, qui introduc. c. 1. *Ea autem hæc sunt.*

I. Id, quod Medicina assequi cupiverūt, esse sanitatem: huius verò ipsius promotionem, Artis eiusdem finem.

II. Sanitatem absentem *restituendā; præsentem conservandam.*

III. Ea, quibus sanitas absens restituitur, remedia & auxilia; *quibus verò præsens custoditur,* salubrem victus rationē *appellari.*

Hinc factum ait Galenus, ut Medicina salubrium, insalubriumq; scientia *ab antiquis scriptoribus dicta sit.*

Salubrium *autem nomine cùm ea, quæ præsentem sanitatem conservant, tùm quæ eandem corruptam resarciunt;* insalubriū *verò, quæ his contraria sunt, intellexerunt. Quorum illa eligere; hæc autem declinare & fugere oporteat.*

Vt autem hæc omnia consequerentur, præcepta quædam excogitarunt: quæ I. vera essent, & cum rebus cōvenirent. Galenus l. de opt. Secta ad Thrasybul. c. 2.

II. Vtilia & ad finem artis consequendum

dum idonea, ibidem capite 1. & 3.

III. Jactis principiis consentanea, & inter se mutuò dependentia, adeò quidem, ut illo posito hoc ponatur, & sublato tollatur, ibid. c. 6.

Atque hæc sunt, in quibus tres illæ Sectæ consenserunt. In quibus autem ex adverso dissenserint, ac quæ singulæ præ aliis peculiaria habuerint, porrò declarandum; initio quidem à Secta Empirica *sumpto.*

SECTIO SECUNDA

Cujus

CLASSIS PRIMÆ

CAPUT I.

De Sectæ Empiricæ origine, cultoribus & appellatione.

CElsus in proœmio l. 1. *scribit, primũ Sectæ Empiricæ auctorem fuisse Serapionem;* Galenus in Introduct. cap. 4. *Philinum Coum. Hic autem Empiriam à Medicina Rationali iterum separavisse dicitur, occasione ab* Herophilo *præceptore accepta, & quidem propterea; quòd Rationalem illam disciplinam nihil ad Medicinam pertinere, sed experimentorum noti-* Empiricorum origo.

tiam tantummodò necessariam esse arbitraretur: Celsus l.c. *non verò, quòd rationibus & doctrina nõ polleret, veluti & ipsius asseclæ.* Joh. Fran. Picus l.1. Exam. doct. Vanit. gent. c. 2.

Antiquitas.

Cumq́; hanc suam Sectam principem esse vellent, & Rationali *multò antiquiorem,* Acronem, *vel, ut ab aliis scribitur, teste* Joh. Franc. Pico *ibidem* Creonem Agrigentinum *in Sicilia celebrem, & Empedoclis Physici autoritate commendatum,* Plinius l. 29. c. 1. *ipsoq́; Hippocrate,* Suida *auctore, antiquiorem, initium ei dedisse affirmarunt.*

Nec dubium est, Medicinam Empiricam *Rationali fuisse priorem, ut ex iis, quæ suprà* parte 1. sect. 3. *dicta sunt, patere potest: præsertim cùm* ab Empiria omnes artes primùm cœpisse *verisimile sit. Repertis enim iam Medicinæ remediis, inquit* Celsus ibidem, *homines de rationibus ipsorum disserere cœperunt: nec post Rationem Medicinam invenerunt: ut proinde* Artium mater *dici possit* Experiẽtia: nutrix Ratio.

Sectatores.

A Plinio Serapion Alexandrinus, *qui*

qui εὐπόριστα *ſcripſit, in hac Secta inclaruit: deinde* Apollonii *duo, pater & filius, Antiocheni.* Galenus l.c. *Hos imitati* Menodotus, Sextus, Theutas, Glaucias *item, monente* Celſo *ibidem, &* Heraclides *Tarentinus.*

Dicta autem hæc Secta à Græcis τηρητικὴ *&* μνημονευτικὴ, *hoc eſt, obſervatrix & memor;* Galenus de ſect. ad eos, qui introduc. c. 1. *eò, quòd* συνδρομὴν *quandam ſymptomatum, parti affectæ inhærentium, obſervarent;* l. 2. meth. med. c. 4. *& hac ſola tanquam communi inſtrumẽto in morbi* Cognitionem, Curationem *&* Præſagium *ſe aptiſſimè deduci poſſe perſuaſiſſimũ haberent:* l. de ſubfigur. Empir. c. 6. *nulla ratione habita morbi, ipſiuſve cauſſarum,* in Introduct. c. 3. *quippe cùm non interſit, quid morbum faciat, ſed quid tollat.* Celſus in proœmio l. 1. Appellatio.

Caput II.
De Medicinæ Empiricæ conſtitutione in genere.

Quâ ratione Empirici in Medicina cùm addiſcenda, tùm facienda progreſſi ſint, eruditè è Galeno *præ aliis docet* Joh. Nicolaus

laus Stupanus, Medicus Basileensis, prolegomenων Medicorum Anno 1608. propositorũ disputatione tertia. *Quæ cùm in paucorũ manibus sint, lubet hoc loco ipsius diligentiam imitari, & nostro modulo è Galeni monumentis Empiricorum Medicinam describere.*

Ea igitur è sententia Theutæ *dupliciter considerari potest;* Gal.l. de subfigur. Empir.c. 4. *nempe quatenus vel acquiritur; vel acquisita operi, seu medicationi applicatur.*

Hinc divisa in partes Constitutivas & Finales: *quarum illæ priori; hæ posteriori considerationi responderent.*

Modus discendi Medicinã.

Partium autem Constitutivarum *tres constituti ordines: quorum primus* Αὐτοψίαν; *Secundus* Historiã; *tertius* Transitum de simili ad simile *complecteretur.* Galenus ibid.c. 2. & 4. *Attamen si quis propriè loqui velit, prædicta non tàm partes Medicinam constituentes, quàm quædam Medici operationes, secũdum* Galen. ibid. c. 4. *vel rectius modi & instrumenta quædam secundũ* Stupanum, *appellanda sunt: quibus aliquis in* Medicinæ Empiricæ *cognitionem deduci possit.* Fina-

Finalium Theutas *tres rursum constituit:* Indicatoriam *scilicet,* Curatoriã *&* Salubrem. Modus faciendi.

Indicatoria *iterum distributa, in* Præsentium dignotionem, *&* Futurorum prænotionem: Curatoria *in* Chirurgiam, Diætam *&* Pharmaciam.

Sola Salubris *omnibus non fuit similis. Aliis enim indivisa servata fuit; aliis in* Salubrem, *partem generi cognominem, &* Evecticam, *hoc est, boni habitus effectricem distincta: aliis* Præservativa, Resumtiva, *&* Gerocomica, *hoc est, senum custoditrice, aucta.* Gal. ibid.

Caput III.

De Αὐτοψίᾳ, &, quæ ex hac nata est, Imitatione.

Αὐτοψία *seu proprius rei intuitus est cognitio, experientia, vel eius, quod sæpiùs & eodem modo visum est, observatio atque memoria,* Galenus ibid. c. 2. de secta ad eos, qui introduc. c. 2. & de opt. secta ad Thrasybul. c. 11. Αὐτοψία quid?

Hæc vel fortuita *est; vel* consulta. *Galenus* l. de secta ad eos, qui introduc. c. 2. & l. de subfigur. Empir. c. 2. Quotuplex?

Fortuitam *appellat; quando sine humano cõsilio, vel* Casu, *vel* Natura, *quippiam apud ægros fieri, ex quo illi convalescunt, videmus.*

Casu; *ut si quis, cui occipitium dolore afficitur, alicunde decidat, atque inde venâ recta frontis incisa, sanguineq; effuso, juvetur.*

Naturâ; *si febricitanti sanguis per nares effluat, vel sudores erumpant, vel alvi profluvium superveniat, & febris statim desinat.*

Consultam *appellat; si quis in febre perditè sitiens* aquã *bibere, vel* mala granata *edere coactus, à febre liberetur: vel quispiam in monte à serpente ictus,* herbã *(quæcunq; etiam sibi offeratur) vulneri admoveat, ac sanitatem inde recuperet: vel per* somnium *admonitus remedio aliquo utatur, atq; ex eo convalescat; quod diviti illi viro è media Thracia Pergamum, somnio ita iubente, profectò accidisse refert* Galenus de subfigur. Empir. c. 12. & lib. 11. de simpl. facult. sub titulo, de carne viperina.

Per somniũ monstratum remediũ I.

Ab Æsculapio *enim admonitus, medicamen-*

*umentum è viperis paratum quotidiè po-
*uvit, & foris eodem corpus illevit. Vnde
ictum, ut non multò post Elephantiasis
n Lepram *transiret, & eadem Medicina
ger tandem perfectè sanaretur.

Testatur quippe Cœlius Rhodiginus
*l*ect.antiq.l.27.c.15.(*Iamblichi sine du-
*bio auctoritate, qui idem de mysteriis Ægy-
ptiorum tradere dicitur à Tiraquello to-
mo 1. de Nobilitate cap. 31. § 24.) in
templo Æsculapii, *quod in Epidauro
fuit, ægrotos somnia captare solitos; quibus
bonam valetudinem à Diis ostensam conje-
ctarent.*

De Iside *scripsit* Diodorus Siculus
Bibliothecæ Hist.l.1. pag. 22. *editionis
Rhodomanni, multos à Medicis propter
morbi difficultatem desperatos, in somnis ab
ea salutem accepisse, plurimosq́; oculis pror-
sus captos, aut alia corporis parte mutilatos,
si ad ipsius opem confugerent, in pristini vi-
goris integritatem restitutos.*

Idem de Hemitheâ *narrat* Diodo- 11.
rus Siculus l.5.p.332. Plinius l.25.c.2.
auctor est, Cynorrhodi *radicem hydro-
phobiam depellere, per somnium matri cu-*

jusdam in prætorio militantis monstratum. In Lacetania, inquit Plinius, *res gerebatur, Hispaniæ proxima parte: casuq́; accidit, ut milite à morsu canis aquas expavescere incipiente, superveniret Epistola orantis, ut paréret religioni: servatusq́; est ex insperato, & postea quisquis auxilium simile tentavit.*

Apud Avicennam l.3.fen.6.cap.15. *legimus; quendam linguæ inflammatione fuisse correptum. Qui cùm remedia à Medico præscripta admittere nollet: per somniū de* succo lactucæ, *in ore detinendo, admonitus, ex eius usu plenè convaluit.*

Manlius in libello Medico p. 42. *scribit,* Melanchthonem *aliquādo fluxu satis periculoso in dextro oculo correptum, ac multis medicamentis sine successu usum fuisse: tandem somniasse, quasi* D. Philonem *Medicum consuleret, qui juberet, ut* Euphrasiâ *uteretur. Qua usus, intra biduum convaluit.*

Annus, præsente hoc anno 1611. *agitur sextus, ex quo* D. Christophor⁹ Rhumbaum, Medicus Uratislaviensis, *vir quoad vitam integerrimus, quoad Artem*

exer-

xercitatissimus, quoad aliarum rerum co- nitionem peritissimus, (cuius anima nunc t in benedictione) sanctè mihi aliquoties ffirmavit: sibi aliquando, dum ob ægri cu- usdam affectum singularem graviter an- eretur, librum Medicum in somno isum *fuisse, in quo affectus illius curatio- nem probè descriptam inveniret. Cùm ergo s à somno expergisceretur, & somnium pla- nè divinum fuisse arbitraretur; curationẽ secundum ipsius monitum instituit: quam etiam,* Deo fortunante, *felicem exper- tus est. Quid fit? Postquam aliquot anni præterfluxerunt, demum liber quidam in publicum editur; (cuius titulus mihi memo- ria excidit) in quo illa ipsa ad unguem (pro- ut* D. Rhumbaumius *se in somnio ea le- gisse putaverat) non solùm descripta; verùm etiam paginam ac paginæ faciem (cui itidẽ eadem inscripta fuisse cogitaverat) reperit.*

Fel piscium *albuginibus oculorum tol- lendis esse idoneum,* Tobias Junior *nõ per somnium, sed coràm ex angelo* Raphaële *didicit.* Tobiæ c. 6.

Ex αὐτοψίᾳ *nata postmodum* Imitatio; *quæ est, quando quis rursum in iisdem affe- ctibus* Imitatio quid?

ctibus ad ea experienda ducitur: quæ vel Natura, *vel* Casu, *vel* Consultò *profuisse vidit vel obfuisse.* Galenus l. de sect. ad eos, qui introduc. c. 2.

Quotuplex? *Ea vel* rara *est; vel* trita. *Galenus* l. de subfigur. Empir. c. 2.

Rara *est; quando quis aliquid semel, bis, aut etiam frequentiùs eodem modo effectum vidit.*

Trita; *quando id tàm frequenter fieri conspexit, ut iam theorema inde exstruxerit: utpote cùm deprehenderit, numquid illud* semper, *aut* plerunq;, *aut* utrovis modo, *aut* rarò *evenire soleat. Totidem enim theorematum sunt differentiæ.*

Caput IV.
De Historia.

Historia est propriæ intuitionis enarratio. Galen. ibid. & l. de sect. ad eos, qui introduc. c. 2.

Historiæ criteria. *Cuius, quòd vera sit,* judicatorium præcipuum *est* convenientia *inter eos, qui singula quæq; proprio intuitu observavêre;* secundarium *mores & eruditio auctoris: item similitudo cum illis, quæ priùs proprio intuitu cognoverimus.* l. de subfigur. Empir. c. 10.

Hæc

Hac ratione contigit, ut cùm in aliorum *[pr]æstantium remediorum virium cognitio[ne]m, tùm etiam* carnis viperinæ *contra* [E]lephantiasin *præsentissimi usus notitiã* [h]*omines devenirent; quod quinq; exemplis* [pr]*obatissimis confirmat* Galenus lib. de [s]ubfigur. Empir. c. 12. & l. 11. de simpl. [m]ed. fa. sub titulo de carne viperina: [pri]*mo* Aetius tetrab. 1. ser. 2. c. 170. *alte*[ro] Rhazes l. 5. ad Almansorem c. 35.

Quare non malè dixit Galenus lib. 2. [a]d Glaucon. c. 10. *iis, qui* Elephantia[si]n *patiuntur, in* viperarum esu *mirabile* [es]*se auxilium.* Caro viperina.

Galenum *sequuntur* Oribasius *ope[r]um suorum* Tomo 1. synops. l. 7. c. 51. [&] Tomo 3. l. 2. *qui est* de Virt. simpl. c. [.] sub tit. de rebus ab E incipient. in fi[n]e, *& ibidem* l. 3. *qui est* de morb. curat. [c].62. Aetius tetrab. 3. serm. 4. c. 47. *&* [t]etrab. 4. serm. 1. c. 23. Ægineta l. 4. c. 1. [&] l. 7. c. 3. sub tit. initium lit. E. *prope fi[n]em.* Avicenna l. 4. fen. 3. tr. 3. c. 3. Ar[n]oldus Villanovanus l. de venenis. [G]ordonius particula 1. cap. 22. Guido [d]e Gauliaco Chirurgiæ magnæ tr. 6. doct.

doct.1.cap.2.num.6. Valescus de Taranta in Chirurgia c. 21. & alii.

Comprobat hoc ipsum è recentioribus propriâ experientiâ, Reinerus Solenander Consil. Medic. sect. 1. Consil. 25. Trincavellius lib. 3. Consil. 124. *&* *Gilberti Medici Germani* Vidus Vidius de curat. gener. part. 2. s. 2. l. 5. c. 8. *nec non Indorum curandi ratione* Steeghius Pract. l. 13. c. 2.

Improbat verò Palmarius l. de Elephantiasi c. 9. *quòd nec ipse, nec* Fernelius, *quocunque etiam modo viperis præparatis, aliquid opis ægris allatum compererit.*

Nos aliorum experientias non infringemus: Sed hoc tantummodò pro Galeno *& reliquis in præsentia dicimus; quòd in* viperis *non parva pro loci natalis ratione sit differentia;* Elephantiasis *quandoque penitùs confirmata; (quam non usque adeò malè post* Æginetam lib. 4. c. 1. Platerus prax. tr. 3. c. 4. pag. 434. *incurabilem ferè pronunciat) & tandem quòd tempus ipsarū exhibitioni commodum, post Universalia videlicet diligenter administrata, eligere oporteat, sicuti* Galenus docuit lib. 2. ad Glaucon. c. 10.

Quòd

Quòd *autem,& cur vipera Elephan-[t]iasi medeantur, inde conjiciunt* Horat. [E]ugenius Epist. Medic. Tomo 2. l. 4. [c.] 16. & Quercetanus in Pharmacop. [D]ogm. restituta cap. 23. *mihi* pag. 184. [V]ol. 2. edition. Francof. Schönwette-[r]: *quòd annuatim exuvias suas deponant; [&] proinde, quam virtutem in suis, eandem [d]einceps in aliis etiam corporibus exserere [p]ossint.*

Neq; coniectura ista de nihilo esse vide-[t]ur. Pulli enim gallinæ & capi vel carne [v]iperina decocta, vel hordeo simul decocto [n]utriti, post paucos dies implumes evadunt, [&] tandem plumis rursum vestiuntur. Pul-[l]orum hoc modo nutritorum carnibus, vel [m]usculis Elephanticos ali iubent Hollerius [d]e morb. intern. c. 64. & Solenander [l]oco alleg. *Sed de his satis, iam ad rem.*

Acquiritur Medicinæ cognitio historica [p]artim viva voce, ; *partim* scriptis. Historiæ acquisitio.

Viva *quidem* voce ; *si quis ex ore alte-[r]ius propria experimenta audiat* : Scriptis *verò, si litteris eadem consignata legat.*

Quæ cognitio historica vituperanda nō [e]st, ut quis à Galeno de opt. secta ad

Thrasy-

Thraſybul.c.14.& 15. *ferè factum obtendere poſſit. Imò laudanda, & ut ea ſedulò urgeatur, Medici iterum atque iterum rogandi.*

Fiet id commodè, ſi quilibet aliorum exempla laudabilia pro virili imitatus, ſuas obſervationes *in medium cōtulerit. Cùm enim unius hominis vita omnibus inveniendis ſufficere nequeat, longi temporis obſervationes hiſtoria colligit, ut eius beneficio tanquam ex multis tot ſeculorum hominibus unus efficiatur eruditiſſimus.* Galenus de ſubfigur. Empir. c. 9.

Caput V.

De Tranſitu à ſimili ad ſimile.

Porrò cùm plurima & pænè infinita eſſent, in quibus obſervationes erant faciendæ, & opem ferentia eſſent quoq; infinita: præterea cùm morbi nonnulli ipſis aliquãdo occurrerent, quos antea vel non viderãt; vel quos noverant quidem, ſed in talibus locis vivebant, ubi non erat medicamentorũ facultas, quæ experientia ab ipſis obſervata eſſent: quapropter tertium inſtrumentum *excogitarunt, quod* Tranſitum de re ſimili ad ſimilem *nuncupaverũt.* Galenus

enus de opt.secta ad Thrasybul.c.16. l.de sect.ad eos, qui introduc.c. 2.

Est autem Transitus *iste nihil aliud, uàm iter ad experimentum:* Galenus de ubfigur.Empir.c.11. *sumpta similitudi- e ab iis, quæ iam per Experientiam com- erta sunt*: ibid.c.2.*non verò, quod proba- ile videatur, simile à simili generari, aut a- ere, aut pati: quemadmodum* Dogmatici *ei Indicantis naturâ persuasi de simili ad si- ile transire solent*.ibid.c.11. Transitus de simili ad simile quid?

Fit Transitus de simili ad simile, *vel n locis seu membris; vel affectibus, & vi- iis seu morbis; vel auxiliis, seu remediis.*

In membris *quidem; ut de lacerto ad èmur, ulna ad tibiam, manu ad pedẽ*: mor- is *verò, ut à diarrhœa ad dysenteriam, e- ysipelate ad herpetem*: remediis *denique, t de cydonio ad mespilum*. ibidem, & de pt.secta ad Thrasybul.c.16.

Vbi primò sciendum; experimentũ, quod ransitum à simili ad simile secutum est, ex- rcitatorium vocatum esse: eò, quòd eum in rte exercitatum esse oporteat, à quo quippiã oc pacto inveniendum sit. lib. de sect.ad os, qui introduc.c.2. NB.

Deinde & hoc sciendum; quòd, si similia universa tentata sint, quandoq; de opposito ad oppositũ etiam transierint: quod à Do-gmaticis *omninò alienum est.* l. de subfigur. Empir. c. 11.

Caput VI.

De usu Syndromes symptomatum.

Vt igitur Empirici *scopos illos, de quibus* supra c. 2. *dictum est, assequerentur, communis ac universalis sui instrumenti adminiculo utebantur, quod* συνδρομὴν *quãdam symptomatum nominabant.*

Pleuritis. *Si enim præter febrem acutam, anhelitus difficultatem, tussim & sputum coloratũ (quorum symptomatũ concursus tàm Pleuritidi, quàm Peripneumoniæ communis esse solet) accedat lateris dolor pungitivus, & pulsus cum tensione asperitas: Symptomatũ istorum concursum* Pleuritidem *esse pronunciârunt.*

Peripneumonia. *Si verò latere non dolente, nec pulsu duro existente, augeretur anhelitus difficultas in tantum, ut non nisi erecta cervice æger respirare poßet, ipsiq; suffocationis periculum in propinquo esset, ac genæ rubore perpetuo per-*

perfunderentur, tunc συνδρομὴν istam Peripneumoniam nominârunt. Atque hoc modo in affectibus invicem dignoscendis & discernendis processerunt.

Quòd si nares essent acutæ, oculi cavi, tempora collapsa, secundùm l. 1. prognost. c. 6. & 7. & quis ipsos interrogâsset, quid cõcursus iste portẽderet? Respondissent; ipsum in progressu quidem ægritudinis mediocre malũ portendere; in principio verò lethum minari. Et sic eâdem sua symptomatum cõgerie ad morbi eventus prædictionem usi sunt.

Denique si alius ex ipsis quæsivisset, num Pleuritico vena secanda sit? confugissent itidem ad suã συνδρομὴν, respondissentque: illi duntaxat secandam esse, cui vel συνδρομὴ plethorica accideret, hoc est, qui venas amplas & sanguine turgidas haberet; vel sine hac robustus ac iuvenis esset, verno, vel alio anni tempore, & loco, seu regione temperata: non senex aut infans, non in Scythia degens, non in hyeme frigidissima, non ardentissimo cœlo, non syncopen pati assueto, non dolore ad hypochondrium descendente. l. de subfigur. Empir. c. 6. Sicque ad curationem συνδρομῇ sua utebantur.

CLASSIS SECVNDÆ Proloquium.

Etsi hoc loco de *Medicinæ Dogmaticæ* vera constitutione nos prius tractare æquũ erat, quàm quid de *Empiricorum Secta* sentiendum sit, exponeremus: tamen cùm illud majorem ac diligentiorẽ requirat operam; rectâ ad institutum præsens nunc accedimus; præsertim cùm rudem ac levem quandam ipsius σκιαγραφίαν *suprà parte* 1.*s.* 4.*c.*2. præmiserimus: quæ nobis in præsentia satis esse poterit.

CAPUT I.

De iis, quæ in Medicina Empirica laudanda.

Convenientia Dogmaticorum & Empiricorum.

Principiò igitur tenendum, quòd è quibus rebus Medicis Dogmaticis *Indicatio; ab iisdem* Empiricis *nascatur eius, quod ex usu est, Observatio. Eorum enim accidentium, quæ* sub finem capitis ultimi præcedentis classis *de Pleuritico recẽsita sunt, congeries* Exinanitionis *admonet Medicum Dogmaticum:* Observationis *autẽ memoriam suggerit Empirico.* Galen. de sect. ad eos, qui introduc. c. 4. *Nam cùm iis, qui sic affecti fuerunt, Exinanitionem sæpius viderit esse utilem: sperat eandem, si ipsa*

sa, utatur, & hoc tempore profuturam.

Quin & Exinanitionis quantitatē x iisdem metitur. Eos enim, qui consistentis int ætatis, tempore verno, & regione temerata, evacuationi per hæmorrhoidas, aut arium hæmorrhagiam assueti: maiorem anguinis detractionem sine molestia ferre bservavit.

Ex iisdem de quantitate eiusdem & Raionalis Medicus iudicat: verùm alia raione, quatenus scilicet vera Indicantia limitant ac determinant, quò Empiricus non respicit: quippe qui totus ab observatione endet.

Deinde ultrò etiam confitemur, multum non solùm adjumenti, sed & ornamenti Medico ἐμπειρίαν adferre. Empiriæ utilitas.

Adjumenti quidem; cùm ipsa alterum sit crus, cui sacratissima nostra Medicina innititur, ac sine quo manca evadit & mutila.

Ornamenti verò & confidentiæ apud ægros; quòd hi corporum suorum curā illi potiùs committant, cuius peritiam ex operibus cognoverunt; quàm qui multa rationum mole artis peritiam ostentare solet.

Sæpè enim animadvertimus, inquit Arist. l.1.Metaphys.c.1.*eos, qui usu valent, magis, quàm illos, qui sine usu ratione & arte præditi sunt, id, quod volunt, consequi. Hûc spectat pervulgatum illud*: Novo Medico novo opus esse sepulcreto.

Historia. *Idcircò* Galenus l. de subfigur. Empir.c.13.*ait, se novisse modestum quendam Empiricum, (utinam nos de hodiernis idem affirmare possimus!) qui operibus, nō autem vano verborū ambitu gloriam sibi comparabat. Is cùm aliquādo pollicitus esset, se magnam, quādam ægritudinē cùm Chirurgia, tùm medicamētis curaturum, & iam ad secandum pararetur: intervenit alius furens Medicus, qui multa rationū mole ostendere nitebatur, hominē secari non oportere. Tum ille unico quasi verbo à Sophistæ molestiis se explicaturus; & medendi rationem non Sophistico ac cavillatorio disputandi exercitio per separari,* Wittensteinius in forma Medic.c.7.*nec morbos eloquentia, sed remediis curari,* Celsus in proœmio lib.1. *ostensurus: Ego interim, inquit, recedo, dum vos deliberatis, utri magis credere oporteat; mihine, quem dudum in artis operibus experiendo cognovistis; an huic, qui*

vos nuper tot verbis aggressus est. Erit enim vobis libera optio eligendi, qui magis placuerit: ac cum dicto secessit: nec multò post Sophista subsecutus est. Huius igitur deliramentis neglectis, necessarii priorem revocaverunt, qui operibus artem ostendebat.

Scilicet ad id unicè attenderunt, quod Hippocrates in lege sua *scriptum reliquit:* quòd nõ sermone tantùm, sed & opere Medicos esse conveniat. *Quicquid enim artificiosè dicitur, non verò opere demonstratur, ex methodo inartificiali proficisci indicio est. Opinari enim aliquid, quod reipsa præstare non possis, scientiæ & artis ignorantiam prodit.* Hippocrates l. de decenti ornatu t. 3. dist. Cornarii.

Magni itaq; ἐμπειρία *in Arte Medica est momenti: præsertim cùm circa singularium observationes versetur, in quorum curatione* Medicum Practicum *occupari necessarium est. Neq; enim curat hominem, nisi casu & per aliud; sed aut Calliam, aut Socratem, aut quempiam aliorum, qui ita dicuntur, cui contigit, ut homo esset.* Arist. l. 1. Metaphys. c. 1. *Nempe Medicus non curat hominem in genere, sed hunc hominem, si-*

ve certum aliquod hominis individuum.

Quare etsi quis sine usu & experiẽtia rationem teneat, & quod ad totum genus accommodatur, cognitum habeat; res autem singulas, quas complexu suo continet, ignoret: tamen plerumq; à curatione aberrabit. Aristoteles ibidem.

Caput II.

De illorum errore, qui medicamentorum formularum collectioni nimium fidunt.

Tametsi Experientia *magni in Medicina sit momenti; tamen soli fidendum non est; nec* Receptorum *(veluti vulgò appellantur) coacervatione standum: ut quidem hodiè à multis passim fieri videmus;* Historia. *olim verò non minùs factum, è* Galeno l. 2. de comp. med. sec. genera c. 1. *satis evidenter patet. Illîc enim refert, se duos cognovisse Medicos, quorum alter è collectorũ remediorum formularum interitu contabefactus periit; alter ab operibus medicis destitit.*

Si enim Receptorum multitudine & varietate res ageretur, inquit Reinerus Solenander in suorum consiliorũ præfatio-

itione ad Medicinæ studiosos directa; *quidní Pharmacopola quemvis Medicum facilè vinceret? Hic enim magna ex parte, non minùs, quàm Artis nostræ studiosus, novit, quod cuiq; morbo medicamentū Medicus præscribat.*

Appositissima igitur ad modò dicta illa est historia, quam D. Augustinus Epist. 5. ad Marcellinum *recenset. Nimirum ab excellēti medico* Vindiciano *quidam certo medicamine sanitati restitutus, cùm post aliquot annos in eundem morbum incideret, & medico non consulto priore illo pharmaco uteretur, nihil levatus fuit. Misit igitur ad* Vindicianum, *ut exponeret, quid causſæ subesset, quòd pharmacum posteriore tempore exhibitum non prodesset? Respondit* Vindicianus: *ideò fuisse inutile, quòd non jussisset ipse porrigi: utpote cùm multum momenti* modus utendi *obtineat, atque* alia aliam ætatem deceant: *Hinc verissimè scripsit* Ovidius lib. 1. de Remedio amoris: Alia.

Temporibus Medicina valet: data tempore prosunt,
Et data non aptò tempore vina nocent.

Quanquam verò nonnulli eò impudentiæ An Hippocrates Empiric⁹,

devenerint, ut Hippocratem *quoq;* Experimentarium *appellare ausi sint: suo tamen errori patrocinium nullum inde accedit. Nam etsi omnium, qui in Arte Medica versarentur,* Experimentarius *maximè esset, maximeq; experimentis animum adverteret, omniaq; iis probanda esse censeret: tamē ut rem assequeretur, multis rationalibus commentis uti consuevit*, dissectioniq; *præcipuè studium adhibuit, utpote, quam Arti multum adiumenti adferre nosset.* Galenus com. 1. sup. l. Hippocr. de articul. t. 3. *&* ibid. com. 3. t. 28.

Atqui dissectionis cognitionem inutilem dixerunt Empirici. Celsus in proœmio l. 1. *Quam ipsorum vanitatem & impudentiam* infra l. 2. part. 1. s. 1. *commodiore quasi loco examinabimus.*

Caput III.

De Medicinæ Empiricæ imperfectione.

Hoc loco istud constanter asseveramus; rectè scilicet fecisse veteres Medicos Rationales, *qui* Medicinam Empiricam *imperfectionis accusaverunt, ut legimus apud* Galenum l. de sect. ad eos, qui introduc.

roduc.c.5. *Vt enim vera Medicina man-* Rationis necessitas.
a est sine Experientia : ita trunca & de-
bilis est sine Ratione. Celsus in prooem.
lib.1.

Et quamvis naturæ rerum contempla-
tio simpliciter non faciat Medicum : aptio-
rem tamen Medicinæ reddit atq; perfectũ.
Vnde verisimile est, & Hippocratem, *&*
Erasistratum, *& quicunq; alii non conten-*
ti febres & ulcera agitare, rerum quoq; na-
turam aliqua ex parte scrutati sunt; non i-
deò quidem Medicos simpliciter fuisse, ve-
rùm ideò quoq; maiores Medicos extitisse.
Celsus l.c.

Cuius rei alia nõ est ratio, quàm quæ ad-
fertur ab Aristotele l.1. Metaphys. c.1.
quòd caussas rerũ cognitas habuerint : qua-
rum cognitio illis, qui sola experientia du-
cuntur, deest. Quo ipso fit, ut posteriores so-
lum τὸ ὅτι ; *priores autem* τὸ διότι *intelli-*
gant.

Vbi nihilominus diligenter observandũ,
Rationem *plurimum valere, cùm ad* Ex-
perientiam *ornandam, tùm corrumpen-*
dam: verùm hoc discrimine; quòd illud à
rectâ, *hoc autem à* vitiosa Ratione *pro-*
ficisca-

ficiſcatur. *Quippe veriſſimè dixit* Galenus l. 2. meth. med. c. 6. *quòd quantum* recta ratio *ornando adjicit; tantum vel etiam amplius vitioſa detrahat.*

Et poſterioris *quidem effati iſtius partis veritas tunc liquidò patefiet, quādo* partis hujus ſectione 4. *contra Methodicam ſectam diſputabimus:* prioris *autem veritas, vel hinc probari poteſt, quòd nonnunquam ubi Experientia deficit, Ratio ſola defectum ſuppleat.* *Quare optimè locutus eſt* Galenus l. 1. aph. com. 1 & l. de Theriaca ad Piſonem c. 3. *dum* Rationem & Experientiam *duo inveniendorum remediorum inſtrumenta appellavit. Res exemplo declaranda.*

Rationalis utilitas.

Exemplũ.

Sit enim ulcus cavum *carne implendum; ad quod utamur* Emplaſtro, *ex* oleo cerâ & ærugine *parato. Quod cùm* Experientia *invenire non poterat;* Ratio *invenit, & præſenti inſtituto accommodatiſſimum eſſe Eventus demum comprobavit.*

Etenim cùm cavitas non niſi carne regenerata impleri queat: caro autem ſi vel ſordes, vel nimia humiditas in ulcere adſit, gigni

ni non valeat: idcirco Ratio persuasit, ordidis medicamẽtis detergentibus, auferẽdas, & humiditatem exsiccantibus absorbendam esse.

Iam si prædicti Emplastri ingredientia penitus examines; sanè ex iis, qui solam Experientiam profitẽtur, nemo usquam erit, qui illa miscere ausit.

Oleum enim (commune scilicet, seu olivarum. De medicatis enim aliter res habet) cavo ulceri infusum adversissimum omnium medicamentum est; cum ulcus sordidum ac malè olens ab eo reddatur. Quòd si anni tempus calidius sit, & æger vel pravis in corpore succis abundet, vel fluxionibus natura obnoxius sit, aut forsitan in victus ratione delinquat: metus utiq; est, ne pars ea, in qua ulcus consistit, putredine corrumpatur. Oleum.

Non minus periculum instat, si quis cera, vel sola, vel oleo permista uti velit. Vtroque enim modo usurpata ulceri putrefaciendo noxam inferet. Cera.

Si verò ulceri æruginem solam exactissimè aliâs lævigatam inspergat, putredinem quidem arcebit; verùm dolorem, morsum, Ærugo.

&

& erosionem non mediocrē excitabit. Quin phlegmonem parti non difficulter accersct. Imò si longiùs ac diutius utatur; convulsionem accelerabit.

Quapropter, cùm neq; oleo, *neq;* ærugine, *neq;* cera *per se & solitariè usurpatis ulcus cavum carne unquam impleri possit: patet utiq;, non ab* Experientia *primùm, sed Ratione eorundem misturam prodiisse. Cùm enim illa omnia contrariis, quodammodò facultatibus, uti dictum, cōstent; proinde ex ipsorum secundùm debitam & convenientem mensuram commistione exsurget pharmacum, quod modicè siccando ad cavi ulceris sanationem, quàm maximè sit idoneum.* Galenus l. 3. meth. med. c. 2.

Mistionis proportio.

Miscendi verò rationem quod attinet, eam Galenus *usu didicit esse optimam: qua* ceræ libræ uni cum olei rosacei quātitate sufficiente ad ignem liquefactæ *pro corporibus quidem durioribus* æruginis pars decima, *pro mollioribus autē* duodecima *miscetur.* l. 2. de comp. med. sec. genera c. 1.

Vnde concludimus, non præter meritum fecisse Erasistratum, *quando & istud* Empiricis

ricis *objecit: quòd etsi ad morbos simplices remedia simplicia per* Experientiam *invenire possint: ad compositos tamen composita per eandem sine* Rationis *adminiculo exstruere nequeant.* Galenus lib. de sect. ad eos, qui introduc. c. 5.

Manca *igitur*, trunca & debilis sine ratione *est* Experientia.

Quin (si dicendum, quod res est) talis; quæ sub Artis formam redigi neutiquam, vel velit, vel debeat, vel possit. Circa singularia enim versatur, quæ summam habent inconstantiam: cùm in perpetuo fluxu constant, nec semper eodem modo affecta esse deprehendantur. Qua ratione Asclepiades *etiam, teste* Galen. l. c. *Empiricos olim damnavit.*

Empiria inartificialis.

Quid: quòd ad ipsorum observationem, non nisi summa temporis prolixitas, & maxima consignandi difficultas requiritur: id quod ab artium constitutione non minus omnium alienissimum.

Atq; hoc ipsum sine dubio est, vel Fuchsio l. 1. Instit. Med. sect. 1. c. 1. *olim aliqua ex parte innuente, quod inter cætera* Plinio *persuasit, ut* l. 29. c. 1. *Medicinâ nullam artem*

Medicina cur inconstans dicta?

tem inconstantiorem esse diceret: quà tamẽ fuctuosior sit nulla.

Non parum tamen Medicorum ambitio illuc momenti contulisse videtur. Nam ut ex iis (quæ cùm in præsentia de Medicorum sectis dicuntur, tùm infra de Medicorum quorundam importunitate afferentur) facilè cuipiam æstimare licet: quisque hoc unicè propemodum egit, ut Artis innovatione & mutatione gloriam famamq́ue, vel (quod verius dicitur,) gloriæ famæq́ue umbram aliquam apud alios captaret.

SECTIONIS TERTIÆ,

CAPUT I.

De Asclepiade, & ipsius Medicina.

RAtionali sectæ *præter Asclepiadas & alios*, supra part. 1, sect. 4. *recensitos, addicti fuerunt* Mnesitheus Atheniensis, Cienus, *qui &* Prusias *dictus est.*

Asclepiades. *Durabat hæc magnasq́ue confessæ rei vindicabat reliquias, donec* Asclepiades *ætate Magni Pompeji, orandi magister, nec satis in arte ea quæstuosus, ut ad alia sagacis ingenii, huc se repentè convertit, atque, (ut*

necesse

eceſſe erat homini, qui nec id egiſſet, nec re-
nedia nôſſet, oculis uſuq; percipienda) tor-
enti ac meditata quotidiè oratione blandi-
ns omnia abdicavit. Plinius l.26.c.3.

Profeſſus quinq; res maximè communiũ
uxiliorum : Abſtinentiam cibi, *aliàs*
Vini, Fricationem corporis, Ambu-
ationem, Geſtationes. *Quæ cùm unuſ-*
quiſq; ſemetipſum ſibi præſtare poſſe intelli-
geret, faventibus cũctis, ut eſſent vera, quæ
facilima erant , univerſum propè huma-
num genus circumegit in ſe, non alio modo,
quàm ſi cœlo demiſſus adveniſſet.

Hic Mithridatis *Regis legatos & pol-*
licitationes ſprevit; hominem è funere re-
latum ſervavit; ſponſionem cum Fortuna
fecit, ne Medicus crederetur, ſi unquam in-
validus ullo modo fuiſſet ipſe: unde victor
in ſuprema ſenecta, lapſu ſcalarum exani-
matus fuit, ſi Plinio *credimus* l.7.c.37.

Caput II.

De ortu Medicinæ Magicæ.

Super omnia autem adjuvêre Aſclepia- Magia.
dem Magicæ vanitates, in tantum evectæ,
ut abrogare herbis fidem cunctis poſſent.
Plinius l. 26.c.4.

Æthiopide *enim herba amnes ac stagna siccari coniectu, tactu clausa omnia aperiri.*

Achimenide *conjecta in aciem hostiũ, trepidare agmina, ac terga vertere.*

Latacen *dari solitam à Persarum Rege legatis, ut quocunque venissent, omnium rerum copia abundarent. &c.*

Sed bellè, & iure quidem meritissimo, vanitates istas loco citato irridet Plinius, *dum ita in ipsas invehitur. Vbinã ista fuère, cùm* Cimbri Teutoniq; *terribili Marte ulularent; aut cùm* Lucullus *tot Reges Magorum paucis legionibus sterneret? curve* Romani Duces *primam semper in bellis commerciorum habuère curam? cur herculè* Cæsaris *miles ad Pharsaliam famem sensit; si abundantia cõtingere unius herbæ felicitate poterat? Non satius fuit* Æmilianum Scipionem *Carthaginis portas herbâ patefacere, quàm machinis claustra per tot annos quatere? Siccẽtur hodiè* Æthiopide *Pontinæ paludes, tantũq; agri suburbanæ reddatur Italiæ.* Hæc Plinius.

Magiæ laus.

Mirandum autem, quòd fraudulentissima

ra artium, (ita enim Magia appellatur à Plinio l. 30. c. 1. *) plurimum in toto terrarum orbe plurimisq; seculis valuerit. At maximam ei auctoritatem fuisse miretur nemo: quandoquidem sola artium tres alias imperiosissimas humanæ mentis complexa in unam se redegit.*

Natam enim primùm è Medicina *nemo dubitat; ac spe salutari irrepsisse, velut altiorem sanctioremq;, quàm Medicinam.* Ortus.

Ita blandissimis desideratissimisq; promissis addidisse vires religionis, (*rectius dicas* superstitionis) *ad quas maximè etiamnum caligat humanum genus. Atq; ut hoc quoq; successit, miscuisse* Artes Mathematicas, *nullo non avido futura de se sciẽdi, atque è cœlo verissimè peti credente. Ita possessis hominum sensibus triplici vinculo, in tãtum fastigii adolevit, ut hodieq; etiam in magna parte gentium prævaleat, & in Oriente Regum Regibus imperet.* Hactenus Plinius.

Hinc evenit, ut vel absurdæ & ridiculæ, vel impiæ morborum medicationes nonnũquam institutæ sint, hodieq; instituantur.

Caput III.

Exempla remediorum superstitiosorum.

Lubet remediorum superstitiosorum specimina quædam proponere.

Oculorũ vitia. *Oculorum vitia fieri quosdam negâsse; nec lippire eos, qui cùm pedes lavant, aqua inde ter oculos tangant, prodidit* Plinius l. 28. c. 4. *At hoc hodieq́ nonnullos observare videas.*

Dentium dolor. *E ligno fulgure icto, reiectis post terga manibus, demorderi aliquid, & ad dentem, qui doleat, admoveri, remedio esse, ex hodiernis adhuc nonnulli, superstitioni dediti, agnoscunt.*

Ulcera. *Vlcera ne serpant, osse hominis quidam circumscribere iubent; illos per omnia imitati, de quibus* l. c. *plura adfert* Plinius.

Verrucæ. *Quosdam in omni genere verrucarum prima Luna singulis cicerum granis singulas tetigisse; eaq́ grana in linteolo deligata post se abiecisse, ita fugari vitium arbitrantes, tradit* Plinius l. 22. c 25. *Idem hodieq́ nonnullos pisis imitari videmus.*

Quartana. *Pro fuganda Quartana Magi excrementa felis cum digito bubonis adalligari iubent,*

ent & ne recidant, non removeri septeno rcuitu, ait Plinius l. 28. c. 16.

Amuleta contra eandem febrim plurima ridicula ab eodem recensentur, tum alii, tum inprimis l. 30. c. 11.

Si unguium præsegmina, unâ cum patiẽis capillis in truncum arboris defoderis, & uneo adacto obstruxeris: aut ligni frustũ de novo patibulo, aut feretro, quo puerpera defuncta elata sit, dissectũ, & à vespillone, vel arnifice magni emptum, in collo gestaveris, his ægrum morte liberari, & ne membrum dolore tabescat, caveri affirmant. Langius ex aliorum mente lib. 3. Epist. med. 6. mihi pag. 1047.

Ex Ære Nicano vel Cyprio, quod ignem expertum non fuit, tesseram formari, eidem signum Leonis, Semi-Lunæ, ac stellæ insculpi, huius autem circulo nomen bestiæ inscribi, sic signatam aureo annulo includi, & in digito auriculari contra Nephritidem gestari vult Trallianus l. 9. c. 4. *Cui ut fidem aliquam conciliaret,* libellum *citavit* de Incantatione, Adjuratione, & suspẽsis, Galeno *falsò asscriptum: in quo talia quædam probantur.* Nephritis.

 Ophi-

Ophiuchi, *id est serpentarii, imaginem lapidi precioso insculptam Venerem hebetare tradit* Galeottus Martius de doctrina promiscua c. 12.

Quomodò peculiaria sigilla Sole quodlibet Zodiaci signum ingrediente formanda sint, & quæ illorũ virtutes; peculiari tractatu *docet* Arnoldus Villanovanus.

Hemitritæus. Q. Serenus Samonicus *pro depellendo Hemitritæo* ABRACADABRA.

Donec in angustum redigatur littera conum

chartæ inscribere, & lino nexum de collo suspendere jussit.

Talia nõnulla ad affectus alios, ex antiquis quidem apud Plinium l. 28. c. 2. & seqq *item apud* Marcellum Empiricũ; *è recentioribus verò plurima apud* Theophrastũ Paracelsum in libris Archidoxis Magicæ *inveniuntur.*

Caput IV.

De remediorum superstitiosorum efficacia in genere; & viribus Imaginationis in proprio corpore in specie.

Prædictorum remediorum pars maxima Dæmo-

Dæmonum præsentia & commercio; vel, ut scribit Johannes Picus Mirandula in Orat. de hominis felicitate, *opere & auctoritate; pars, si hoc absit, firma usurpantis fiducia, persuasione, & imaginatione nititur.*

Illud de imaginibus, gemmis potissimùm insculptis, verum esse putat Anshelmus Boëtius l. 2. gemmar. & lapid. hist. c. 4. *nec diffitetur* Jamblichus, *teste* Marsilio Ficino, de vita cœlitus comparanda c. 18. circa finem: *hoc Auctori libelli de Incãtatione antea allegati placet: utrumque* Thomas à Vega *in com. super* Gal. *Artis medicin.* c. 84. *probat.*

Et certè quantam vim proprium corpus immutandi imaginatio *obtineat, præter* Aristotelem sect. 7. problem. 2. & 5. Alexandrum Aphrodiseum probl. 33. & Avicennam de viribus cordis tr. 1. c. 8. *è recentioribus plurimi, qui deinceps* capite seq. *enumerabuntur, annotaverunt.*

Exempla affectus Imaginationis.

Hinc scilicet mingente *uno, mingit & alter;* oscitante *uno, oscitat & alter:* re amara *vel* acerba affecto, *afficitur & alter.*

Nonnullis cogitatione alvus cietur; *nonnullis* sudor erumpit; *nonnullis* lacrymæ *præter aliam caussam ullam profluunt.*

Quibusdam ex alicuius rei aspectu, vel auditu dentes *horrent ac stupescunt: quibusdam* vomitus *concitantur; quibusdã* animo *linquuntur.*

Ganeones, *sapido & suavi viso edulio, linguam volutant, & dentibus masticãt: sapore cupito linguam & palatum sibi infici existimantes.*

Historia. *Quidam, (cuius meminit* Thomas à Vega l.c.) *ex ardente febri decumbens, & delirans, postulavit, ut sibi in stagno illo (monstravit autem cubilis pavimentum) natare liceret. Constare enim sibi, se à natatione quamprimùm convaliturum, & à febre liberatum iri. Ergò cùm, Medico annuente, aliquandiu cum summa jucunditate supra pavimentum hinc inde se volvisset, ait; iam sibi aquam accedere ad genua: optare se tamen, ut altiùs ascendat. Paullò pòst lætior, iam inquit, attingit inguina: sicq; juxta imaginationis conceptũ ad guttur usq; aqua paullatim ascendente, hilari facie ge-*

stiit,

iit, seq; sanum iam & à febre liberum evasse, pronunciavit. Id quod revera etiam venit.

Cardanus de subtilitate lib. 19. sub nitium *scribit, fœminam quandam patrii generis, maximo urinæ ardore affectam nulla ope Medica, quantumvis plurimi tum Medici, tum Chirurgi curationi adessent, per septem integros menses sanari potuisse; donec tandem supervenit* Josephus Niger, *qui ægrotantis filio mandavit, ut in crystallo, coram matre à se porrecto, videre se diceret tres dæmones pedites, quos quartus procerior, sed eques, tricuspide insequeretur, & captos vinciret, vinctos ephippio alligaret, alligatos abduceret. Vnde factum, ut fœmina ista rursum convaluerit. Suspicatur tamen* Cardanus, *fœminam istam nō tàm imaginatione, quàm Dæmonum ope restitutam; cùm de Magia* Josephus *suspectus fuerit.* Alia.

Antonius Fracantianus apud Marcellum Donatum de hist. Medic. mirab. l. 2. c. 1. *refert: Vincentinum quendam se corpus habere prægrande opinatum, ita, ut nullo pacto extra cubiculi ostium exire pos-* Alia.

set. Quem cùm Medicus prehendi, & invitum extra cubiculum portari iussisset: re expedita, ipse totum se confractum conquestus, ministros necis suæ accusavit, & paullò pòst mortuus est.

Alia exempla non adfero, cùm plurima suppeditet quotidiana experientia.

Caput V.

De viribus Imaginationis in alieno corpore.

Augerius Ferrerius l. 2. meth. med. c. 11. *non usurpantis solummodò, verùm & porrigentis firmam persuasionem requiri ait. Vnius enim indubitatam persuasionem plurimum posse in movēdo animo alterius, cùm alibi, tum inprimis* Paramiri tr. 4. c. 9. *&* l. de vita longa circa finem Paracelsus *inculcat.*

Quò etiam Johannes Baptista Montanus suę Medicinæ part. 1. p. 378. & seq. *inclinat.*

Idem Algazel suæ Philosophiæ l. 2. tract. 5. c. 10. *sentit.*

Nonnulli Avicennæ *quoq; eandem opinionem adscribunt.*

Tanta quippe vis est animi nostri, inquit

er-

errerius, *ut si quid honesti sibi persuase-t, atq; in ea persuasione firmiter perseve-et, id ipsum, quod concepit, agat, & poten-er operetur: modò alterius, in quem agit, nimum non habeat repugnantem, neque diffidentem. Si enim fidentem & coadiu-vantem habuerit, citiùs, quod intenditur, erficitur. Si neq; fidētem, neq; diffidentem: nihilominus vis animi agentis operabitur, ut in dentium doloribus sæpissimè fieri vi-demus. At si fortè æger diffidat, aut planè ri-diculum existimet remedium, aut circum-stantes habeat, qui fidem elevent, & reme-dium coram illo contemnant, præcantanti vis nulla erit: quia persuasioni suæ repugnā-tem habet alterius animum.* Hæc Ferre-rius.

Attamen cùm imaginatio *actio quædā sit immanens; nec extra imaginātem tran-siens: utpote quæ sensio quædam est: non li-quet, quomodò porrigentis fiducia ad tales sanationes aliquid conferre possit.*

Imaginatione non mutatur aliud corpus.

Quæ caussa fuit, ut cùm Paracelsi, *tùm* Ferrerii *istud dogma confutaverit* Era-stus disputat. Antiparacels. parte 1. p. 66. & 179.

Ad

Adhæc cùm nulla res agat ultra suã speciẽ: cõceptus autem per imaginationem formati non sint res ipsæ, sed rerum duntaxat figuræ, simulacra & effigies, in imaginante existentes: idcircò alia agendi potentia prædīti nõ erunt, quàm in proprio corpore res significandi & repræsentãdi. Codronchius l.2. de morb. venef. c.1.

Thomas à Vega loco, quo supra, *hanc etiam rationem adfert. Si Maniaci fortissima imaginatio, quòd vel mortuus vel claudus sit, nemini mortem aut claudicationem proprii corporis intulit: quomodo plus in alienum possit?*

Gravidarum imaginatio fœtui multa imprimit.

Sanè à gravidis per imaginationem fœtui multa imprimi non diffitemur. Patet enim hoc ipsum è Genes. c. 30. v. 41. *ubi Iacobus Patriarcha ope virgarum variegatarum effecisse dicitur, ut fœtus ovium evariantis lanitii evaserint.*

Lutherus ibidem in comm. *refert, Witteberga civem cadaverosa facie, matre cadavere ex improviso oblato exterrita; & Isenaci glirem, matrona quadam formosa & pudica è subito occursu atq; aspectu gliris, cui ex vicinis aliquis nolam appenderat, ut*

t ad eius sonitum reliqui fugarentur, pavefacta, natum.

Galenus l. de Theriaca ad Pisonem c. 11. *scribit, hominem opulentum, sed deformem, pulchros liberos procreare cupientem, formosum puerum in ampla tabella depinxisse, & cum uxore congredientem, ut hæc imaginem in tabula è regione posita depictam attentiùs intueretur, iussisse; sicq; voti sui compotem factum fuisse.* Historia.

Plinius l. 7. c. 12. Cœl. Rhodiginus lect. antiq. l. 20. c. 15. Marcellus Donatus loco alleg. Thomas à Vega in com. sup. Galeni Artis Medic. c. 49. Ambrosius Paræus l. 24. c. 7. Schenckius l. 4. observat. 129. Martinus Delrio Disquisition. Magic. l. 1. c. 3. q. 3. & alii, *fœtus hac vel illa facie, figurâ, colore, stigmatibus, &c. ob gravidarum vel terrores, vel firmas imaginationes natos, pluribus exemplis confirmant.*

His adstipulatur Avicenna l. 1. fen. 2. doct. 2. cap. 14. Fernelius de procreat. hominis c. 12. Vallesius de sacra Philosophia c. 11. Wierus de prestig. Dæmon. l. 3. c. 8. Rodericus à Castro de u-

niversa

niversa mulierum Medicina parte I. l.3.c.11.*& præter hos alii.*

Quæ etsi ita fiant: reliqui tamen, quo errorem suum palliare possint, nihil inde sortiuntur.

Rectè enim Delrio l.c.*scripsit; quòd etsi per conclusionem ipsius primam anima humana per imaginationem in corpus alienum, & ab imaginante disiunctum & separatum, mirifica ulla efficere nequeat: possit tamen aliquid imaginatio in corpus vicinum, arcta quapiam coniunctione & contactu ei copulatum; præsertim si imaginatio sit valdè intensa, & vicinum corpus ad eam affectionem valdè dispositum.*

Gravidæ & fœtus quanta conjunctio.

Hoc autem in matre & fœtu cumprimis locum habere, si quid aliud, illud certè evincit: quòd ut Galenus l. de format. fœtus c.3.*tradit, fætus in utero vivat more plantæ. Ergò ut planta terræ omnia debet; sic fætus matri. Atqui illæ sæpissimè ita alterantur, & transmutantur, ut quæ alicubi terrarum noxiæ plurimum esse solent, aliò translatæ non modò innocuæ, sed & conferentes reddantur.* Galenus l. de Consuetud. c. 2. in fine.

Li-

Liquet hoc è Persica arbore; quæ ab aliis Persea & Persion appellatur. Plinius l.15. c.13. Matthiolus in comm. super lib.1. Dioscorid.c.146. & in Apologia adversus Amathum, sub titulo Persea arbor, è Theophrasti de hist. plant.l.4.c.2. *Hæc enim in Ægyptum translata, & bonum illic alimentum nacta, fructum esui idoneum profert: quod apud Persas non fiebat.* Galenus l.2.de semine cap.1.post medium l.2.de aliment.fac c.6. & l.2. de compos.medic. sec.loc. sub tit. de Cataplasmatis in capitis dolore, Archigenis. Persea arbor.

Cùmq; fœtus veluti pars matris sit; Archangelus Picolomineus Anatom. prælect.8.*quippe, cui per vasa umbilicalia arctissimè coniungitur: manifestum utiq; est, quòd matris impressiones promptissimè suscipere possit.*

Quid? quòd fœtus, dum in utero exsistit, non tàm propria, quàm matris animâ vivere, hoc est, vitales & naturales operationes, quæ in sanguinis & spirituum vitaliũ elaboratione consistunt, exercere videtur. Sanguis *enim tàm* venosus, *quàm* arteriosus Fœtus vivit anima matris.

riosus, per venas & arterias umbilicales à matre ipsi communicatur: nō autem in proprio Corde & Epate elaboratur. In quem enim finem aliàs vasa umbilicalia satis insignia natura construxisset?

Vnde nec spiritus vitales in fœtus corde elaborantur; cùm, quòd non respiret, & aërem, qui pro spirituum vitalium generatione requiritur, inspiret; tum, quòd sanguis nec arteriosus, nec venosus in ipsos cordis ventriculos effundatur.

Arteriosus enim per arterias umbilicales, non verò cor, Arteriæ magnæ influit, & ex hac ad venam arteriosam per canalē peculiarem (qui in iis, quæ in lucem edita sunt, postea coalescit, & obliteratur) in pulmones, in reliquum autem corpus per alias ipsius propagines defertur.

Hinc etiam arteriæ in fœtu, non ob motum cordis, sed arteriarum maternarum cōtinuationem moventur.

Venosus verò sanguis sub dextrâ cordis auricula è cava vena, priusquam hæc in dextrum cordis ventriculum dehiscit, per anastomosin (quâ vena cava arteriæ venosæ iungitur) in arteriam venosam fluit: quæ a-

nasto

astomosis, fœtu in lucem edito, à valvula, uæ illic adnata est, ita obstruitur, ut meaus illius vestigium deinceps nullum appaeat. Bauhin. Theatri Anatomici l. 2. . 24. & Andreas Laurentius Anat. ib. 8. c. 7.

Quibus omnibus persuasus fuit Laurentius, *ut* ibid. Qu. 27. παρξδόξως *scrivere non dubitaverit* : nullam in fœtu Pulmonum & Cordis esse necessitaem. Laurentii paradoxon.

Ergo cùm tàm arcta sit fœtus cum matre onnexio: liquet, expeditissimè à matre per ntensam imaginationem varia stigmata œtui inuri posse. Quod in aliis, inter quæ on est tanta colligatio, fieri neutiquam poest.

Memorabile, imò deplorandum est exmplum , quod Anno proximè elapso 610. Pragæ Bohemorum d. 17. Julii *ontigisse accepimus. Natus enim tùm fuit uellus, quoad reliquas partes integer; at inestinis, jecore, ventriculo, & liene extra abdomen (cuius tamen cutis divulsa non fuit) ropendentibus. Causa partium situs depravationis orta fuit è terrore, & hunc conse-* Historia.

quente intensa imaginatione: quam mater tunc concepit, cùm vix tribus ante partum mensibus vitulum mactari, & ex eius abdomine dissecto partes prædictas propendere vidisset.

Quæstio. *Verùm quomodò imaginationis tanta vis esse possit in prægnantibus, ut eius rei, cuius duntaxat species* spiritualiter, *non verò* realiter *animo quandoq; (ob res valdè quidem expetitas, non tamen vel visas, vel oblatas) obversatur, in alienum corpus imago imprimatur, & perpetuò insideat, caussa obscurissima est.*

Wierus l.3 de Lamiis c. 8. *spiritibus primùm, mox humoribus & sanguini, tandem fœtui, qui sanguine illo alitur, rei cupitæ & firmiter cogitatæ imaginem, vel figuram, imprimi putat.*

Alia. *At cur rei optatæ imago non potiùs in parentis uterum, quàm fœtum suscipitur? An quòd illius substantia solidior & durior, adeoq; ad patiendum ineptior; huius autem mollior? quod* Hieronymo Niemanno in oratione de Imaginatione *placet. An verò, quòd sanguis ac spiritus ad fœtum potiùs, quàm uterum copiosius confluunt?*

An

An deniq; quia facultas formatrix circa fœtum, nō verò ipsam uteri substantiam occupata est?

Sed cur imagines illæ non toti fœtui; verùm parti duntaxat illius alicui appingun-tur? Alia.

Rursum, quæ vis est, quodve instrumentum, cuius ope anima exoptatam rerum figurā in spiritibus veluti pingit & efformat? Alia.

Nos cum Costęo & Mongio in com. super Avicennæ lib. 1. fen. 2. doct. 2. c. 4. *ingenuè respondemus; quomodò talia fiant, nos non videre. Alii fortè exactiùs viderint. Interim illo* Scaligeri Exer. 307. c. 29. *nos solamur; quandam humanæ sapientiæ partem esse, quædam æquo animo nescire: & veram sapientiam, nolle nimiùm sapere.* Exerc. 274. *Atq; hæc sunt, quæ, occasione ita ferente, de* Imaginatione *dissere-re placuit.*

CAPUT VI.

De remediorum superstitiosorum efficacia in specie.

Eja! dicat mihi aliquis, quid per se possint verba, dicta, scripta, *aut* cogitatione concepta? *præsertim si externa sint,* Verba superstitiosa quid possint?

atq; ineffabilia, & quæ ridicula videri cogit animus, ut loquitur Plinius l. 28. c. 2.

Quid figuræ? *Quid verò* figuræ *absonæ rebus vel* inscriptæ, *vel* insculptæ?

Equidem universam dictorum congeriem nihil rectiùs, quàm Diaboli technam & meram imposturam, cum Strozzio Cigogna l. 4. Magiæ Omnifariæ c. 1. *vel noctuas quasdam Diaboli, ad aucupia animarum humanarū natas, cum* Heurnio lib. 3. prax. general. c. 28. *quis appellare possit.*

Etenim si ad firmam usurpantis fiduciā attendamus; nonne is à Deo, & Dei operum contemplatione abducitur, & fastidire discit pharmaca ab omnipotente Deo creata? nonne dum rebus potentias quasdam, quæ ipsis à summo Numine, nec Natura, *nec* Arte, *inditæ sunt, adscribit;* Heurnius ibidem: *illas cum Christi blasphemia observat, & adorat?* Langius l. 3. Epist. Med. 6. mihi pag. 1047.

Et quidem vires illas rebus prædictis, Natura *inditas esse non posse, illud arguit: quòd res merè artificiales sunt.*

Si verò ab Arte *ipsas nactæ sunt: quid caussæ*

ussæ est, quò minùs aratrum ab artifice ſit, quod ſua ſponte agrum proſcindat; aut adius, qui ultrò homines occidat, & ſi quid agis eſt ridiculum? Cigogna ibidem.

Quòd ſi vim aliquam imagines hant; eam non tàm per figuram acquirunt, àm per materiam naturaliter ſic affectā ſidet. Marſilius Ficinus de vitâ cœlùs comparanda cap. 18. propè fiem.

Nec moramur Pomponatii, *præcipuè erò* Cajetani *commentitias rationes, pro urarum & characterum commentitiom defenſione productas; & à* Martino Delrio Diſquiſit. Magic. lib. 1. c. 4. q. 1. *cenſitas ac confutatas. Tales enim ſunt, uæ ipſorum laudi, (quam aliàs rerum Phiſophicarum diligenti cognitione ſibi comraverant) non parum detrahunt. De iis itur hoc loco nihil.*

Nō maioris æſtimamus Galeotti Marii l. de doctr. promiſcua cap. 24. *exceptiones, quæ apud ipſum videri poſſunt.*

Parem fidem merentur, quæ Georgius Phædro in Chirurgia minore, *de cura haracteriſtica proponit.*

Historia. *Neq; etiam moramur historiam, quam ex* Heurnio *pro veritate & efficacia eorũdem adferre quis possit, & ita habet. Ipse vidi satellitem Romanum* (sunt verba Heurnii loco allegato) *Geometriæ gnarum; qui cùm diu habitâsset Ægyptum, è Christiano Saracenus evasit, temporibus Regis Chamorchæ. Hic (mirũ!) spontè mobiles imagines fabricabatur. Evenit, cùm ad satellitem essem, quòd obnixè ejulantem armigerum suum audiremus. Ex ictu enim scorpii graviter dolebat. Hic meus ille satelles in certam antidotum quid porrexit, ut potaret. Id autem gerebat* characterẽ scorpii, & thus *olebat. Quo hausto illicò evanuit dolor. Hic ego, quidnam id esset, quod tàm commodã ac salutarem pressisset formam? Illicò aureum obtulit annulum, qui Emblema gerebat* lapidis Bezoar: *cui insculpta erat* imago scorpii. *Rogabã, quânam horâ hanc sculpsisset? respondit,* Luna in scorpione versante, *cùm angulum centrumq; cœli attigisset, tuncq; olibanum mastiche imbutum se pressisse affirmabat. Quin aliis rebus inusta hæc Idea, æquè ac si thuri, hanc efficaciam exercebat.* Hæc Heurnius.

Idem

Idem ex Hahameth *repetit* Serapio de simplic. c. 396. *& ex* Haly Marsilius Ficinus de vita cœlitùs comparanda c. 13. & 16.

Verùm ut liberè dicam, quod sentio: ista omnia non superiorum peculiari quadam influẽtia evenisse, sed dæmonis ipsius coadjutorio effecta fuisse, ut credam, non levia sunt, quæ persuadere videntur. Judicium de historia prædicta.

I. *Quòd satelles* è Christiano Saracenus *evasit.*

II. *Quòd* imagines sponte mobiles, *ope fortassis mundi Animæ, (quod de* perpetuo mobili in Anglia *existente quidam profitentur) ac spiritus Astralis vi magneticâ interveniente, vel potius dæmone quopiam imaginibus illis sese miscente fabricâsse dicitur.*

Quod ipsum proavos suos, cùm Deos sibi ipsi facerent, itidem præstitisse Hermes Trismegistus in Asclepio *confitetur. Ita enim, quoniam,* inquit, *proavi nostri multum errabant contra orationem Deorũ increduli, & non animadvertentes ad cultum religionemq́; divinam, invenêrunt artem, quâ Deos efficerent, cui inventæ adjun-* NB.

xerunt virtutem de mundi natura convenientem, eamque miscentes: & quoniam animas facere nõ poterant, evocantes animam dæmonum vel Angelorum, eas indiderunt imaginib. suis divinisque mysteriis: per quas sola Idola & benefaciendi, & malefaciendi vires habere potuissent.

III. *Quòd* non lapidem Bezoar, sed thus lapide Bezoar signatum, *obtulit.*

Quis ergò jam sit, qui Diaboli fraudes hîc non deprehendat? Placet ipsas historia quadam, ab Heurnio, *è fido, ut* citato loco *scribit, Pragmatico transscripta, paullò apertiùs manifestare.*

Historia alia.

Vetula quædam obnixè è dentibus laborans, cùm periapton remedium à Medicinæ studioso anxiè exigeret; is autem, quid ageret, nesciret: idcircò ut ab anus crebris interpellationibus sese liberaret, schedulam tandem conscripsit, quam syndoni implicitam collo anus appendit. Mirum! illicò cessit dolor. Anus igitur salutari schedulæ vi deprehensa, cuivis, qui de dentium dolore conquerebatur, eandem admovit non sine successu. Cùm verò tandem in hominem mini-

minimè superstitiosum incidisset, schedulâ explicitâ, hanc sententiam inscriptam fuisse deprehensum est: Diabolus tibi rumpat collum.

Non absimilis est historia, quam Manlius recitat in libello Medico pag. 19. de quodam sacerdote: qui homines luscos decepit schedula de collo suspensa; cui inscripserat verba sequentia: Der Teuffel kratze dir die Augen auß / vnnd scheiß dir in die lücken. Alia.

Eandem historiam habet Wierus de præstig. Dæmon. l. 5. c. 18.

Egregiæ, mehercle, sententiæ! quarum eventum libenter quis vel optare, vel exspectare debeat. Quis ergò amplius sit, qui Diaboli præstigias non animadvertat? quibus rudiores, simpliciores, & superstitiosiores dementare solet.

Ex his iam colligimus. I. Prudentissimũ fuisse Caracallæ edictum: quod, ut Spartianus refert, talium Amuletorum usum publicè damnavit, & abrogavit. περίαμματα.

II. Non acceptandam esse Tralliani sententiam, qui l. 9. c. 4. disertè inquit, honestum esse morbum vincere, & omnibus

machinis ægro ſuccurrere; præſertim, ſi quæ talia habeantur, quæ vel ab Experientia comprobata, vel ab amicis ſynceris communicata ſint.

Caput VII.

De Amuletorum vero uſu.

Quæſtio. *Quærat tamen aliquis,* an nulla penitùs Amuleta uſurpare liceat?

Reſpondemus è Galeni l. 10. de ſimpl. med. fac. ſub titulo ſtercus lupinum: *dummodò non ea, quæ vixdum repudiata ſunt, hoc eſt,* characteres, voces, figuræ, *vel his aliquid ſimile; ſed ſubſtantiæ (quæ vel peculiari quadam antipathia affectui adverſantur, vel per quandam ſympathiã cauſſam foràs evocant) in uſum trahãtur;* Amuleta in univerſum damnanda non eſſe: *quicquid etiam vel ex* Tatiano Aſſyrio *(quem citat* Wierus de præſtig. dæmon. l. 5. c. 15.) *adferat* Eraſtus Diſput. Antiparacelſ. part. 1. pag. 186. & parte 4. p. 131. *vel de ſuo objiciat.*

Nam cùm à ſubſtantiæ quadam proprietate, vel (ut aliis loqui libet) vi magnetica pleraq; operentur: ſalutarem omninò rerũ iſtiuſmodi uſum fuiſſe, non raró ab autoribus

bus fide dignus compertum est.

De stercore lupino hoc prodidit Galenus: *scilicet, se ollulam ad fabæ magnitudinem confecisse; qua, experiundi gratia, (ab alio enim id usurpari viderat) stercore lupino indito suspensa, plurimos à* Colicâ *liberari non sine admiratione vidit.* Stercus lupinum

Pæoniam (præcipuè marem) de collo suspensam Epilepsiam *fugare, primus omnium* Galenus l. 6. de simpl. med. fac. sub titulo, Glycysida *annotavit; quod postea* Montuus in Halosi febr. l. 1. cap. 8. & Fernelius lib. 2. de abd. rer. causs. c. 17. *propria experientia confirmârunt.* Pæonia.

Annulos ex ungula Magni Animalis, *quod nonnulli præter* Cardanum lib. 10. de subtilit. mihi p. 720. *Alcem esse opinantur, confectos, doloribus ex flatibus in membris genitis (quos quidam* spasmũ flatulentum *appellârunt) præsentaneo remedio esse, experientia in proprio corpore non semel tantummodò, sed pluries facta, comprobat* Joh. Franç. Ulmus de occult. in re Medica fac. l. 2. c. 7. Ungula Alcis.

Lapidem Alaqueca sanguinem undecunq; fluentem *illicò sistere, scribit* Alaqueca.

Gar-

Garcias ab Orta Aromat. Indic. hist. l. 1. c. 53.

Ætites. *Ætiten femori alligatum* partum educere, *tàm verè scripsit* Dioscorides l. 5. c. 118. *quàm quod verissimè: adeò, ut* Valleriola l. 1. obser. 10. *testificante, Valentiæ Allobrogum Ponsoni Ioberti coniugi (cui Ætiten cruri alligatum à partu statim non detraxerant) post paucas horas, utero foràs prolapso, mortem attulerit.*

NB. *Qua de caussa doctè ibidem monet* Valleriola; *lapidem à partu quamprimùm amovendum esse: ne quod huic, idem & aliis forsan simili eventu obtingat.*

Umbilicus infantis. *Deciduum infantis umbilicum annulo inclusum, & gestatum, ita, ut carnem attingat*, à Coli intestinorumq; doloribus *liberare auctor est* Hieronymus Niemānus in oratione de Imaginatione.

Caput VIII.

De unguento Armario.

Ad superstitiosam & magicam curandi rationem Guilielm. Fabricius, *amicus noster observandus*, in Epistola, Tractatus de Combustione, dedicatoria, Ambrosium Paræum in Introduct.

Ad

adChirurgiam c. 24. Martinum Biermannum diſp. de actionibus magicis theſi 62. Hieronymum Niemannum l.c. Libavium tract. de unguento armario, *& alios nonnullos ſequutus, illam etiam, quæ per* unguentum, *ut appellant*, armariũ, *inſtituitur, pertinere exiſtimat.*

Verùm poſſet fortaſſis quiſpiam non ſine cauſſa hanc è præcedentium numero eximere; & Magiæ *quidem, ſed* Naturali, *non autem* Diabolicæ *adſcribere.* Magia naturalis quid?

Illam Joh. Picus Mirandula diſput. de Magia Naturali, & Cabala, *partem practicam ſcientiæ Naturalis vocat: cùm nihil aliud doceat, quàm facere opera mirabilia mediantibus virtutibus naturalibus, per applicationem earum ad invicem, & ad ſua paſſa naturalia.*

Applicatio autem illa ut corporalis ſemper ſit, neceſſarium non eſt. Sufficit enim ſæpenumerò occulta & virtualis coniunctio: cuius effectum quidem ſentimus; modum verò ignoramus.

Patet hoc ipſum è pluribus rebus ſublunaribus; quarum occulta invicem eſt conſpiratio vel diſſenſus; amor vel odium;

ſeu,

seu, ut Græci loquuntur, συμπάθεια *vel* ἀντιπάθεια.

Magnes. *Talia sunt: quòd* Magnes *versus polũ movetur, & cùm ipse ferrum appetit, tum à ferro vicissim quasi appeti videtur; ut è quorundam sententia tradit* Ansel. Boetius de gemm. & lap. hist. l. 2. c. 249.

Tarantula. *Quòd Musica à Tarantula ictis medetur: vel, quod iure quisquiam admiretur, Tarantula etiam alio in loco mortua, demorsus à morbo confestim liberatur.* Martinus Delrio ut supra q 2.

Pulli. Vitis. Leo. *Quòd pulli conspecto milvio fuga quamprimùm sibi consulunt: vitis claviculis solam brassicam non amplectitur, sed in diversam potiùs partem inflectitur: tympani ex lupina pelle sonus aliud tympanum ex agnina tensum disrumpit, ceu ex* Oppiano *recenset* Delrio l. c. cap. 3. *Leo gallum gallinaceum expavescit.* Plinius l. 8. c. 16. *&* lib. 10. c. 21. *item* Alexander Aphrodiseus in principio problematum. *Vnde* Lucretius l 4.

Quin etiam gallum noctu, explaudentibus alis
Auroram clarâ consuetum voce vocare,
Nenu queunt rapidi contra constare leones
Inq; tueri, ita continuò meminêre fugai.

Cor-

Corporalis coniunctio facit; quòd Adamas mastici (cui momentum eboris in atrū pollinem exusti, ut ingrescat, adiunctum sit) unitus, vivos ac lucidissimos de se spargit radios: quod à nulla alia gemma citra fucum fieri scribit Anselmus Boëtius gemmar. & lapid. hist. l. 2. c. 1.

Prætereo nūc data opera plura similia: quæ partim congessit Arist. l. de mirab. narration. Fernelius lib. 2. de abditis rerum caussis c. 17. Fracastorius de Sympathia & Antipathia cap. 1. *partim alii; quorum meminit* Delrio.

Etsi verò Paracelsus Archidox. Magic. l. 1. Joh. Bapt. Porta Magię naturalis l. 8. c. 12. Libavius loco alleg. Crollius inter Basilica chymica, *diversas & operosas unguēti armarii descriptiones proponant; minùs tamen necessariæ esse videntur: cùm res compendiosiore, & minùs sumptuoso medio, ubivis obvio, & nemini non notissimo, æquè feliciter expediri possit.* Unguenti armarrii materia.

CAPUT IX.
De superstitione in exhibendis pilulis.

In Catapotiorum vel pilularum exhibitione

tione nonnulli etiam superstitiosi esse solent, ut ipsas impari potiùs, quàm pari numero exhibere malint.

Quæstio. *Propugnat superstitionem istam,* Galeottus Martius de doctr. promiscua c. 23. *atq; affirmare non dubitat, Catapotia numero impari exhibita paribus efficaciùs operari; etiam ponderis & materiæ æqualitate servata.*

Atqui non tàm ad numeri *paritatem, vel imparitatē; quàm ipsius* subjecti *purgandi cōditionē attendere decet. Prout enim* humores *copiosi, ad expulsionē idonei, &* vię, *per quas ferri debēt, legitimè præparatæ sunt: eatenus etiam corpus magis purgatur. Sin prædicta modo contrario se habeant, tunc effectus contrarius expectandus.*

Quid? quòd Experientiam *huic ipsi palàm reclamare videmus.*

Adde, quòd massam illam pilularem vel in bolum *redigere, aut etiam competente aliquo liquore dissolutam (si scilicet non sit è vulgarium & officinalium numero) uno haustu potandam dare possumus.* Quid igitur hic vel commodabit, vel oberit numerus?

His

His observatis, corruit ratio, quam Gacottus è concordia numeri paris, *&* discordia numeri imparis *desumit: utpote, quòd ille in partes æquales, hic inæquales dividatur. Quid enim hoc ad purgandi rationem? Pendet enim hæc* non à numero: *sed* vi purgante medicamẽti. *Quæ cùm utrobiq; sit æqualis: æqualiter etiam operabitur, nisi illa, de quibus paulò antè dictum est, obstiterint.*

SECTIO QUARTA
Cujus
CLASSIS PRIMÆ
CAPUT I.
De Sectæ Methodicæ ortu, cultoribus & appellatione.

ASclepiade *(cuius medendi rationem* sectionis præcedẽtis capite primo *nonnihil expressimus) præceptore usus* Themison Laodicæus Syrius. *Qui cùm Præceptori ob innovatam Medicinam omnes favere intelligeret: maiori Artem innovandi studio accensus,* SectæMethodicę, *quæ, (ut loquitur* Wittenstenius in forma Medicinæ c. 1.) *Empiricam &* Methodici celebres.

 impu-

impudentia & superbia longè vicit, prima fundamenta iecit.

Themisonem *citat* Paulus Ægineta l.3.c.15. *à cane autem rabido demorsum evasisse, tradit* Dioscorides lib. 6. c.36. *summum auctorem vocat* Plinius lib.14. cap.17.

Eum postea æmulatus Thessalus Trallianus, *& iactis fundamentis reliquum* Sectæ Methodicæ *ædificium superstruxit.*

Hos rursum sequuti Mnaseas, Dionysius, Proclus & Antipater.

Dissensêre nonnihil ab istis Olympiacus Milesius, Menemachus Aphrodisieus, & Soranus Ephesius, *teste* Galeno in Introduct. c.4.

Appellationis ratio.

Methodicorum *autem nomen sibi arrogaverunt, quòd ambitiosè gloriarentur, se eximia quadam industria ac methodo universam Artem in breve quoddam compendium contrahere posse.*

Reprehenderunt itaq; Hippocratem, *quòd* l.1.aph.1. *Vitam brevem, Artem verò longam esse dixerat: cùm, ipsorum quidē opinione, Vita potiùs longa, Ars autem brevis dicenda esset.*

Demtis

Demtis enim iis omnibus, quibus Ars falsò iuvari putatur; (qualia ſunt morbi cauſſa, locus affectus, ægri vires & ætas, anni tempus, regio, cœli ſtatus, corporis habitus, conſuetudo, cauſſarum procatarcticarũ doctrina, *&, quæ præter hæc ſunt, alia; gloriæ tãtùm gratia apud priõres Medicos celebrata) nobisq́; ea, quæ communia, evidentia, fini Medicinæ conſentanea, & (quemadmodum dicebat* Theſſalus *) ad ſanitatem proxima & neceſſaria ſunt, ſolùm intuentibus; neque longa Medicina eſt, neq; difficilis, ſed facilima atq; aperta.*

Omnem quippe ſex menſibus celerrimè quis addiſcere poſſit: Galen. l. de ſect. ad eos, qui introduc. c. 6. *quod olim* Theſſalus, *homo, ut è promiſſis liquet, cùm inſolentiſſimus, tùm impudentiſſimus, publicè profiteri auſus.* Medicinę facilitas.

Quâ autem re Methodici perſuaſi ſint, ut prædicta ſuo arbitratu è Medicina ceu inutilia removerint atq; expunxerint: capite ſequente *dicetur.*

§ (:) §

Caput II.

De caussis, ob quas Methodici multa in Medicina immutaverunt.

Caussæ procatarcticæ.

Vt à caussis procatarcticis *fiat initiũ, eas propterea se reiecisse prætenderunt: quòd etsi* æstus, frigus, ebrietas, cruditas, satietas, fames, lassitudo, otium, cibi genera, consuetudines mutatæ, &c. *affectum aliquem progignere valeant: (quod* Erasistratum *contra ipsam rerum evidẽtiam perperam negâsse, auctor est* Celsus in procem. l. 1. *) tamen ipsis mederi non oporteat; cùm affectu genito recedant, neque ampliùs præstò sint.* Galen. ibidem. c. 7.

Continẽtes.

Deinde continentes morborũ caussas *quod attinet; quãquam, ipsas procatarcticarum instar abesse, dicere nec possent, nec auderent: obscuras tamen esse, & citra ipsarum cognitionem affectum ipsum propriam curationem, monstrare contenderunt.*

Locus affectus.

Insuper loci affecti *nullam rationem esse habendam eo docuerunt: quòd is nec curationem variare, nec Indicationis exsecutionem, seu curationem, interpellare possit. Hinc partium corporis notitiam, quæ ex* Anato-

Anatomia *petitur, planè inutilem esse cē-ſuerunt.*

Eadem cauſſa fuit, cur ad curationem accedentes nullam vel ætatis, *vel* regionis, *vel* anni temporis, *& reliquorum (quæ ſupra* ſect. 2. claſſ. 2. c. 1. *vera Indicantia, à* Dogmaticis *appellata, limitare diximus) rationem habuerint. Scilicet nil referre putârunt, num* Puer, Adoleſcens, *vel* Senex; Vir *aut* Mulier; Vere, Æſtate, Autumno *vel* Hyeme; *in* Ægypto *vel* Athenis; Thracia, Scythia *vel* Æthiopia *ægrotaret. Nihil enim horum efficere poſſe, quin id, quod* laxum *eſt*, adſtringere; *quod verò* ſtrictum *eſt*, laxare *neceſſarium ſit*. Galen. ibid.

CAPUT III.

De Medicinæ Methodicæ conſtitutione, & conſtitutionis ratione.

Ob cauſſas igitur anteà enarratas factū eſt, ut non tàm in iis morbis, qui victu *curantur; quàm qui* manu, *quiq;* medicamentis *depelluntur*, Methodici *rem omnem in anguſtum valdè deduxerint atq; contraxerint: quatenus in his omnibus ge-* Methodicorum co nit...

neratim communitates *quasdam invenire, scoposq́ remediorum paucos proponere conati sunt.* Galenus ibidem.

Communitatum *autem illarum tres in universum constituebant: quarum* duas extremas, *tertiam è reliquis duabus* mistam *nominabant.*

Si enim naturales corporum evacuationes suppressæ essent, (ut in inflammatione) adstrictum; *sin magis ferrentur seu fluerent, (ut in diarrhœa)* fluentem: *si verò partim suppressæ essent, partim fluerent,* morbum *inde natum appellabant* mistū: *qualis est, si oculus inflammatione simul & fluxione laboret.*

Indicationes. *Ab his postea* Indicationes curativas *desumebant: &* Adstricta *quidem* Relaxationem; Fluentia suppressionem: Mista *autem* illi, quod magis urgeret, succurrēdum esse, *innuere & efflagitare dictitabant.* Gal. ibid.

Porrò eadem hæc morborum genera modò acuta esse, modò longa: modò increscere, modò consistere, modò minui dixerūt. Celsus in prooem. l. 1. *Quare aliter acutis, aliter subsistentibus, aliter ad sanitatem iam* incli-

inclinantibus, medendum docuerunt.

In victu *illud peculiare habebant, ut sine discrimine ægros primùm* triduo inediâ *macerarent; invento à sapiente* Thessalo *excogitato, ut monet* Gal. l. 4. meth. med. c. 4. *Postea non nisi alternis diebus cibum concesserunt; hoc scilicet ordine, ut sub initium quarto demum die, postea sexto, mox octavo, deinde decimo, &c. cibum ægro porrigerent.* Gal. lib. 10. meth. med. c. 6. — Inedia triduana.

Hæc Methodicorum Medicinæ *summa est: cuius prima rudimenta ab* Asclepiade *desumsisse videntur:* Gal. l. 4. meth. med. c. 4. *qui pro principiis atomos & vacuum posuit;* l. 3. Epidem. com. 1. t. 4. *perinde atque Epicurus & Democritus.* l. 1. de nat. fac. c. 14. *&* lib. de Theriaca ad Pisonem c. 11. *His enim positis principiis, alia præter recensita morborum genera non dantur.* l. de morb. differ. c. 4. — Principiorum origo.

Etenim si prima Elementa, seu ἄτομοι, *sunt impassibilia,* inquit l. c. Galenus, *nulli erũt alii morbi præterquam in* compositione.

Compositio *autem cõsistit vel in* meatuũ Ampliatione, *vel* Angustatione:

quarum illam Methodici Laxitatem; *hãc* Adſtrictionem *nuncupaverunt.*

CLASSIS SECUNDÆ.
Caput I.
De erroribus Methodicorum in genere.

SI *quis ea, quæ hactenus de* Methodicis *recenſita ſunt, diligentiùs apud animum ſuum perpendat: fatebitur utiq;, vera dixiſſe* Methodicos, *quando Medicinam facilimam eſſe atque apertam aſſeruerunt. Imò verò, ſi ea ſaltem (quæ recenſuimus) Medicum noviſſe oportet: tàm equidem facilis Medicina fuerit, ut præſcripto ac definito illo ſemeſtri ſpatio opus minimè ſit; cùm multò celeriùs, ac breviori quidem tempore, ipſam quis addiſcere poſſit. Quibus, nî mentiuntur, gratiæ doctrinæ brevioris agẽdæ; ſin mentiuntur, negligentiæ profectò accuſandi ſunt.* Gal. l. ed ſect. ad eos, qui introduc. c. 6.

Sed benè habet! Etſi enim Methodici *in eo laudandi videantur: quòd, ut è præcedentibus patet, Indicationibus quibuſdam ad remediorum utilium inventionem ſuo more*

ore usi sint: culpandi tamen alia ex parte nt, quòd non solùm experientiam *omnẽ amnaverint, verùm etiam* abdita (*ut ocârunt*) *omnia penitùs, ceu nullius usus, eiecerint.* Methodicorum imperfectio.

Etenim ut Medicina sine Ratione st mutila, *quemadmodum* sect. 2. class. .*dictum est: ita non minùs* manca est sie Experientia. *Dantur enim nonnulla, uæ ex sola observatione, vel experiẽtia, derehendere fas est: qualia sunt mortifera & venenum morsu fundentia.* Gal. l. de opt. ad Thrasybul. c. 8.

Deinde illa, quæ Methodici abdita *ppellaverunt, magni in Medicina esse usus, nemo diffitebitur; qui ea, quæ nunc dicentur, probè æstimaverit.*

Caput II.

De iis, ob quæ Empirici Methodicos reprehenderunt.

Ergo prodeat ex Empiricis veteribus *aliquis, &* Caussarum procatarctica-rum *caussam agat. Annon hunc ferè in modum cognitionis ipsarum necessitatem contra* Methodicos *adstruet?* Caussarũ procatarcticarum necessitas.

Fuêre duo: qui, cùm à cane rabioso leviu- Historia.

sculè saltem demorsi essent, ut ne tota quidē cutis discissa esse videretur, ad Medicos sibi familiares abière. Horum alter *soli vulneri attendens, ac de nulla re alia ampliùs sollicitus, brevi vulnus consolidavit.* Alter verò, *qui vulnus* à cane rabido *inflictum cognoverat, non solùm vulnus consolidare non festinavit; sed etiam maius reddidit, medicamentorum acrium & validorum usu, ad benè multum tempus continuato. Exhibuit præterea ipsi intra corpus certa quædam* alexiteria, *quæ præsenti affectui accommodata esse arbitratus fuit. Restitutus igitur ab utroq; uterq; verùm dissimili planè eventu.* Prior *enim ille, cùm se iam extra omne periculum constitutum esse opinaretur, confestim* Hydrophobiâ *corripitur, & convulsione superveniente exstinguitur:* posterior *autem integrè persanatus salvus vixit atq; incolumis.* Gal.l. de sect. ad eos, qui introduc. c. 8.

Respondeant ergo hic Methodici, *& apertè fateantur, an* caussæ procatarcticæ *cognitio ad præsentis affectus curationē nihil omnino adiumenti attulerit?*

..ia. *Addo aliud exemplum.* Cassius ingeniosissi-

...issimus Celsi seculo Medicus, ...s quendam magna siti ac febri post ebri...tem correptum cognovisset, aquam fri...am bibere iussit: quâ epotâ, cùm vini ...n miscendo fregisset, protinus febris so...no & sudore discussa est. Hoc autem au...ium opportunè providit Medicus, non ...eo, quòd aut adstrictum corpus erat, aut ...ebat: sed ex caussa, quæ antè præcesserat. ...elsus in prooem. l. 1.

Prodeat iterum Empiricus, & Loci affecti caussam simili industria agat. Sic i...g, ipsos alloquetur. Locus affectus.

Partium corporis vel locorum af...ectorum nullam rationem esse habendã, ...uòd affirmare non erubescitis; valde equi...em miror; eò, quòd non veritati solùm, sed ...tiam artis vestræ operibus hoc ipso palàm ...ontradicatis.

An enim inflammatio, proh Deum im...mortalem! quacunque etiam in parte, seu ...rure, seu aure, seu ore, seu oculo, orta ...it, eãdem per omnia curationem admittit? Annon sæpiusculè à me visi estis, crurum inflammationes & scalpello incidere, & oleo irrigare; quod vestrum nemo in oculis Exempla.

tentare

tentare ausit? *Cur* oculis inflammatis *adstringentibus*, cruribus *verò non item*, *medemini? cur* auribus inflammatis *nō eadem, quæ* oculis; *nec* oculis *eadem, quæ* auribus inflammatis, *adhibetis? Etenim* rosaceum aceto permistum *auribus inflammatis utilissimè admovetur : quod non nisi maximo cum detrimento oculis applicari cernimus*. Gal. ibid.

Præterea si per vulnus alicuius viscera patefacta sint, Celsus ibidem: *is certè, qui sanæ cuiusquam partis colorem ignoraverit, quid integrum, quidve corruptum sit, nesciet.*

Adhæc si intus dolor incidat, (sunt verba Celsi ibidem) *qui is, quid doleat, sciverit; qui, qua parte quodq; viscus intestinumq; situm sit, non cognoverit? Quomodò id, quod ægrum est, curabit, si quid sit, ignoraverit?*

Respondeāt igitur hîc vicissim Methodici, *& syncerè dicant; Num* Loci affecti *notitia planè sit inutilis?*

Prodeat tertiò Empiricus, *&* Ætatis, Anni temporis, *atq;* Regionis *caussam suo item more agat.*

Ego,

Ego, inquiet, *qui evidentia sequor, præ-
cta præterire aut spernere nequeo; cùm ad
nè medendum non parum adiumenti ad-
rant.*

Vt enim de Ætatibus *primo loco ali-* Ætates.
*uid dicam: ab his certè non solùm modus
mensura; sed etiam genus medicamen-
rum variatur. Quoties enim vidi plerisq;*
leuriticis *in consistente ætate constitutis,
viribus validis, sanguinem vos ipsos de-
rahere? quod nec ipsi, nec quispiam alius in
dmodum sene, vel puero, natu adhuc par-
vo, tentare ausit.*

Deinde Anni tempus *quod attinet*, Anni tempus.
nnon Hippocrates lib. 4. aph. 5. *prædi-
xit*, sub cane & ante canem purgatio-
nes esse difficiles? *annon idem* aphoris-
mo præcedente *monuit*, Æstate supe-
riorem, Hyeme inferiorem ventrem
purgandum esse? *Verane igitur, an falsa
vobis dixisse videtur? Vtrumlibet affirme-
tis, reprehensione tamen non carebitis.*

Si enim Hippocratem *falsa dixisse
affirmabitis; ipsam rei evidentiam everte-
tis: quam vos sequi tantoperè clamatis. At-
qui hæc aliter, atq; ab* Hippocrate *prodi-*


tum

tum est, rem se neutiquā habere satis docet.

Sin ipsum vera dixisse fatebimini; iam ipsi Anni tempora *palàm admittetis, quæ tamen ceu inutilia publicè à vobis diffamantur.*

Regio. *Deniq; si unquam peregrè usquam à patria abfuissetis, &* locorum differentias *experimento didicissetis: omnino nescii non essetis; eos populos, qui ad Septentrionē habitant, aut qui Ægyptum, vel loca Meridionalia incolūt, largam venæsectionem æquè non ferre, atq; illi ferunt, qui inter hos sunt medii.* Galenus ibid.

Nec minùs ad cibum *vel ritè dandum, vel dextrè demendum, prædictorum notitia nobis inservit. Sit enim exemplo adolescens. Hic famem faciliùs fert, quàm puer: tenui cœlo, quàm denso: æstate, quàm hyeme: uni cibo, quàm prandio assuetus: inexercitatus, quàm exercitatus.* Celsus ibid. *Hæc igitur & alia multa similia plenis quasi buccinis* Methodicis Empiricus *occentaret.*



Caput III.

De iis, quæ Dogmatici Methodicis propter Cõmunitates, & Abdita, ab ipsis appellata, objecerunt.

Ecquid verò faciet Dogmaticus? *Silebitne is, & Methodicorum placita approbabit? an verò, quod in iisdem reprehendat, & ipse aliquid inveniet? Vtiq; quod reprehendat, non parum inveniet.*

Principio enim inconstantiæ *ipsos accusabit; quòd etsi in nominibus invicem convenerint: tamen in rebus, per nomina expressis atq; intellectis, discrepaverint.* Methodicorum inconstantia.

Interrogati quippe, quid ipsis laxum, *quid* Adstrictum *significaret: diversimodè responderunt.*

Alii enim excrementa ipsa, *si nimiùm fluerent, nomine* Laxi; *si contrà supprimerentur, nomine* Adstricti *comprehenderunt.*

Alii verò non excrementa ipsa, sed affectus in corpore existentes, *propter quos excrementa vel nimiùm foràs propelluntur; vel in corpore cõcluduntur, intelligendos esse dixerunt.*

Neutri tamen, quod vel veritati, vel ipsorum

rum doctrinæ consentaneum sit, in medium attulerunt.

Crises. Vt enim prioribus primo loco satisfiat: Nonne Natura sæpissimè humores vel per urinas, vel sudores, vel vomitus, vel alvum, vel nares, vel hæmorrhoidas in crisi profusissimè evacuat? Inde tamen nihil periculi, sed una salus ægro speranda venit; nisi aliquis tales evacuationes supprimētibus, imperitè exhibitis, forsitan interturbare velit; morbosas secundùm Methodicorum communitates esse arbitratus.

Etsi verò posteriorum explicatio ad veritatem propiùs accedere videatur: propriæ tamen ipsorum doctrinæ adversatur.

Methodici sibi cōtrarii. Etenim cùm Methodici professi sint, se illa solùm, quæ communia sunt & evidētia, intueri ac sequi: affectus autem, quorum gratia excrementa vel retinentur, vel exturbantur, intus in corpore consistant, nec sensui pateant; suæ profectò doctrinæ hypothesibus manifestè contradicunt.

Nam si excrementa per alvum præter modum feruntur, nec tamen in his profluvium statuunt: sanè evidenter cognoscere non

e non possunt, ubi affectus *ipse hæreat; nũ in superioribus, vel inferioribus intestinis, mesenterio, vẽtriculo, vel aliâ aliquâ è partibus vicinis: quarum nulla sensui est conspicua.*

Quòd si per signa nonnulla evidentia *in affectus cognitionem se deduci inferant: quid ab antiquis Medicis differant, non liquet.*

Vt enim hoc feliciter consequantur, necessarium mehercle est, ut in corporum dissectione, *si non* Herophili *&* Erasistrati, (*qui, ut* Celsus loco hactenus citato *auctor est, nocentes homines à Regibus è carcere acceptos, vivos inciderunt, cõsiderâruntq́; etiam spiritu remanente, ea, quæ natura antea clausisset) attamen alterius alicuius* Anatomici *diligentis instar exercitati, partium operationes & utilitates probè edocti, atq; in scientia aliud ex alio concludendi instituti sint.* Anatomiæ utilitas.

Vnde apparet, cùm Abditorum, *ut vocabant, notitiam non esse ceu inutilem repudiandam; tùm longius, quàm* semestre temporis spacium *requiri ad Medicinã probè addiscendam. Et hæc de* Metho-

 dico-

dicorũ Communitatibus extremis.

Mixtam *quod attinet, quam exemplo inflammationis oculorum humidæ, hoc est, quando inflammationi fluxio quæpiam cõjungitur, demonstrant: neq; ipsa suis erroribus caret. Quando enim huius Communitatis rationes reddere iubentur, tunc aiũt,* poros nonnullos reclusos, nonnullos occlusos *esse: è quorũ illis aliquid effluat, ex his autem effluere prohibeatur.*

Methodici absurdi. *Etsi verò quidam eò insaniæ pervenerint, ut dicere non dubitaverint, in uno eodemq; poro* Laxitatem *simul &* Adstrictionem *consistere:* hi *tamen audiendi nõ sunt, multò minùs refutandi; cùm non tàm factu, quàm intellectu impossibilia proponant.*

Fluxus & suppressionis falsas caussas dederunt. Illis *hoc discendum: nec pororum* Laxitatem *in caussâ simpliciter esse, ut aliquid effluat; nec eorundem* Adstrictionem, *ut aliquid intus retineatur.*

Neque enim ad ipsas duntaxat partes; verùm etiam humores, *vel excernendos, vel retinendos attendendum; videndumque cuius ipsi naturæ sint ac substantiæ.*

Nam licet pori rarefacti *sint; illud tamen,*

quod effluere debet, crassum sit vel pau-
m; aut etiam maiori impetu ad poros fe-
ur, nihil effluet: sin pori occlusi quidē
t, ipsum verò, quod intùs cōtinetur, mul-
m ac tenue; nil obstabit, quin perfluere
quid possit.

Æquum igitur erat, ipsos in veterum
onumentorum lectionem aliquantò
us temporis ac diligentiæ impendisse, atque
iis didicisse, quot modis, quicquid in parte
qua collectum est, vicissim ex eadem e-
acuari queat: non autem soli pororum
axitati inhæsisse.

Nimirum evacuatur aliquid è parte, vel ratione ipsius partis; vel ratione ejus, quod in parte continetur; vel alicu-
us alterius, quod extra partem est. Fluxus veræ caussæ.

Ratione partis quidem; quando pars
arefit: ratione verò humoris; quando is
vel attenuatur, vel augetur, vel vehemen-
ius movetur.

Id autem, quod extra partem est, vel
n corpore consistit, vel extra corpus.

Quod intra corpus est, id humorem
xpellendi; quod verò extra corpus, id
vel attrahendi, vel absorbendi vi pollet.

Galenus *hæc omnia evidentibus qu*-
Exempla. *busdam exemplis* lib. de sect. ad eos, qu
introduc. c. 9. *declarat*.

Primò *enim si lana vel spongia, aut al*-
quid aliud, quod his proportione responde
pauco liquore imbuatur, nihil; sin mult
aliquid effluet. Si verò comprimatur, liqu-
rem imbibitum faciliùs reddet.

Deinde *inveniuntur non rarò vasa f*-
ctilia tàm rara & porosa, ut aquam infusa
facilimè ac promptissimè permeare sinant
mel autem inditum propter substātiæ crass-
tiem contineant, nec perfluere patiantur.

Quare cùm hæc in rebus istis exte-
nis *fieri palàm videamus: quin in anima*-
lis etiam corpore eadem per quandam ana-
logiam fieri possint, dubitare non debemu

Suppressionis veræ caussæ. *Vt autem res aliqua ob caussas prædicta*
è parte quapiam evacuatur: ita ob contra-
rias in eadem retinetur; si scilicet vel pa
densa sit, vel humor crassus, paucus & qui-
tus: nil intus existens ipsum foràs propella
nil foris extrahat.

Ex his iam rectè concludimus; & in e
Caussa cō-tinens. *insigniter errâsse* Methodicos, *dū* cau-
sam morbi continentem *nihil penitù*

a

*curationem conducere, ac propterea mi-
rè cognoscendam esse statuerunt. Quan-
nim intersit, vel humorum, vel aliorum
parte contentorum, cùm substantiam &
am, tùm qualitatem ac motum diligen-
considerâsse: nemo equidem diffitebitur,
vel obiter saltem in Artis nostræ operi-
aliquandiu versatus fuit. Quæ cùm
ridiana propemodum luce clariora exsi-
nt, nolumus hoc loco ipsorum probationi,
contrariorum refutationi prolixius atq;
rosiùs incumbere.*

CAPUT IV.
De Inediæ Triduanæ nocumentis.

Superest διάτριτος, *seu* Triduana Ine-
a: *à qua per iocum* Diatritarii *postea*
pellati sunt, teste Gal. l. 8. meth. med.
cp. 6.

*Quam cùm citra discrimen febricitare
cipientibus iniungerent, susq; deq; haben-
s, quâ quis constitutione corporis præditus
set: idcircò factum, ut quandoq; per ipsam
el ægritudines prorogarentur; vel ægri in
raviora mala deducerentur.*

Quanquam enim nonnulli sint, quibus Inediæ utilitas.

aut nihil, aut non magnoperè incommoda tot dierum inedia; imò sint nonnulli, qui-bus non modò innoxia, sed etiã utilis omni-nò esse solet, ut loquitur Gal. l. 8. meth med. c. 3. *sunt tamen alii, qui ipsam non modò ægritudinis, sed nec sanitatis tempor citra luculentam offensionem ferre possunt*

Sunt autem illi pituitosi; *hi* biliosi, *di-ctante* Hippocrate lib. de morb. acut com. 2. t. 29. & 30.

Hinc natus aphorismus 59. ſ. 7. *Cor-poribus humidas carnes habentibus famen inducere oportet. Fames enim corpora sic-cat.*

Noxa. *Atq; hæc una præcipuè caussa est, cur cor-poribus biliosis fames & inedia non condu-cat. Sunt enim hæc corpora suapte natur exsucca atq; arida.*

Accedunt tamen & aliæ. Nam si tali corpora, quantumvis vel optimè sana esse videantur, ad biduum tantummodò inedi pati iubeas; id profectò commodi, vel, quo rectiùs dicitur, incommodi sperandum me-tuendumq; tibi erit; ut ab una inedia in fe-brem conjiciantur, etiamsi nulla alia causs vel interna, vel externa, quæ febrem accen-

de-

re valeat, concurrat. Galen.l. 8. meth. med.c.2.

Quod cùm in sanis eveniat: quid futurum putabimus, si quis actu iam febricitantibus triduanam inediam imperare velit? Quid, quæso, aliud? quàm ut febres exsuberentur, atque è mitibus acutissimæ redderentur: à quibus promtus postea sit in Hecticas *transitus, & ab his rursum* in torridum marasmum? *aut si os ventriculi ipsis facilè aliàs offendatur, in eum, qui* syncopen, *hoc est, animi defectũ infert.* Galen.ibid.c.2.& 3.

Quamobrem verissimè dixit Hippocrates in l.de Veteri Medic.t. 15. dist. Cornarii, *quòd fames magnam potẽtiam in naturam hominis habeat, & sanandi, & debilitandi, & occidendi.*

Luculentissimum est exemplum, quod pro huius rei confirmatione adfert Gal.lib. 10.meth.med.c.3.

Cùm enim iuvenem illum è Tertiana intermittente non putrida, *è curis, inedia, defatigatione, solis æstu, &c. contractâ laborantem, die undecimo ante accessionem non cibâsset; evénit, ut in ipsa accessione sine* Historia.

pulsu jaceret, & vehementi frigore per totũ corpus premeretur: sic, ut nec loqueretur ampliùs, & vix impellentem sentiret. Galenus *ergo, ut* Diatritariorum, *qui eidẽ curationi adfuerunt, & amentiam, & pertinaciam palàm redargueret; atque ægri propinquis reipsâ comprobaret, ægrum victu hactenus præscripto à se servatum fuisse; simulq; ostenderet, vel* in ipsa

NB. accessione(*quando videlicet febris nec ob humorum copiam, nec obstructionem, nec phlegmonem, nec humoris alicuius putredinem orta est. A talibus enim si orta fuerit, maximo malo cibus esse solet.* Gal. ibidem c. 5.) ægrotantes quosdam commodè nutriri posse: *ostium aulæ obserari iussit, ne ex* Diatritariis(*ægro pallidioribus propemodùm & frigidioribus redditis, fugamque meditantibus*)*quispiam aufugeret. Ipse verò, diductis ægri maxillis, ex angusti oris vasculo* cremoris ptisanæ *cyathos tres; paullò autem post* albi & tenuis vini, modiceq; calida diluti *duos cyathos infudit. Quo facto, æger oculos sustulit, & tùm audire, tùm loqui, tùm præsentes nôsse cœpit; cùm antea veluti lignum aridum porrectus*

sine

ne voce ac sensu iaceret. Rursus itaq; dato ex vino, *de quo dixi*, diluto pane *ad comedendum exiguo, prorsus hominem revocavit.*

Scitu præterea nec indignum, nec iniucundum est, quo dolo eandem Diatritariorum *amentiam in alio ægrotãte* Galenus *luserit.*

Nam cùm quidam item biliosus in aquis aluminosis paulùm post caniculares dies lavisset, atq; à balneo cute densata febricitare cæpisset; Medicos aliàs satis nobiles, alterum Erasistratæum, *alterum* Methodicum *vocavit; qui homini à cibo abstinendum esse decreverunt.* Alia.

Postea his digressis Galenus *supervenit, & priorum instituto cognito ægrum, ne id sequeretur, hortatus fuit. Quin in balneum perductum, & tepente oleo largissimè perfusum, tùm blandissimè perfrictum, quamplurimum temporis in calidi solii aqua versari iussit. Mox egresso, ac* frigida *ex consuetudine uso, tùm syndone cooperto; considere paullulùm ad vires recreãdas præcepit. Postea denuò more & modo iam præscripto loto, & è balneo vix egresso, protinùs*

cibum *exhibuit*, aquam *bibere permisit*, ptisanæ cremorem *cōcessit*, *& dein parvo intervallo* lactucam, *ac post hanc* ex simplici albo jure piscium saxatilium *aliquid indulsit. Interim ministris præcepit, ut si vesperi priores Medici redirent, quiescere herum dicerent, eosq; statim dimitterent, ac postridiè manè reverti iuberent. Vt igitur abierunt, hominem rursus simili modo lavatum & cibatum dormire iussit.*

Postridiè *ubi Medici reversi sunt; etiam eo die ægro à cibo abstinendum censuerunt: qui id se strenuè facturum verbis quidem promisit. At cùm iam bis lavatus fuisset, & pransus dormivisset, ac circa Solis occasum* Medici *iterum adessent:* æger se febricitare simulavit, ac veste circūdatus involutusq;, quò minùs vinum bibisse ab ipsis deprehenderetur: *Amico cuidam mādavit, qui Medicis, si quid percontarentur, pro se responderet. Postquā igitur isti hominem etiam cum capite curiosè involutum viderent: rogârunt*, quotâ horâ accessio invasisset? *Respondit Amicus; ferme ne unam quidem integram intercessisse horam. Rogârunt illi porrò;* cū horro-

NB.

horroréne an frigore cæpisset? *Cum horrore, respondit Amicus. Quibus auditis, hominem corpore propter risum & operimentum iam madentem tetigerunt; laudaveruntq́, quòd ipsis obtemperâsset, nec quicquam ante tertiæ diei accessionem contra ipsorum mandata deliquisset. Hanc enim caussam esse, quòd ipsum horror deseruerit, & sudor iam eruperit: quod futurum non erat, nisi* inediam *tolerâsset. Iusserunt itaque, ut propinqui sudorem diligenter detergerent, &, ne frigore læderetur, studiosè caverent*: de nutriẽdo ægro adhuc muti, *sed manè sequenti se redituros promittentes. Iis ergo digressis, æger quamprimùm in balneum cucurrit, ac tertiò lavit, & similiter cibatus est.*

Postridiè *priùs, quàm adventarent Medici, domo dedita opera egressus est, ne se deprehenderent. Itaq́ cùm paullò pòst venirent, & egressum intelligerent, mirati inter se sunt, quid tandem hominem, iam* bidui inediam *passum, egredi cogisset.* NB.

Et hæc est ratio: quà Diatritarii *isti pro merito à* Galeno *delusi sunt.*

Ex ea autem istud nos eruimus, quod ipsorum

psorum dementiæ opponamus : nempè si hoc uno ab istiusmodi Medicis ægri malè afficerentur, quòd pluribus diebus in cubilibus detinerentur; cùm liceret sine intempestiva hac inedia *multò citiùs ad consueta vitæ munia redire; esse profectò vel id grave,* teste Galen. l. 10. meth. med. cap. 2. *At graviora longè sunt, quæ ex* inedia *provenire vix dum ex* Hippocrate *&* Galeno *monstravimus.*

SECTIO QUINTA.

Cujus CLASSIS PRIMÆ.

CAPUT I.

De Medicinæ Dogmaticæ perennitate; & Paracelsicæ origine.

Galeni laus.

EMpirica & Methodica Sectæ *quãquam diutissimè in magno fuerint precio:* Galenus *tamen, quem Heroa potiùs ac Dæmonem, quàm hominem suo merito appellãdum censet* Valleriola l. 1. loc. com. c. 1. *ob summam cùm in Medicina, tùm aliis disciplinis omnibus excellentiam; quique sexcentis ferè ab* Hippocrate *annis, ut* Gesne-

Gesnerus in vita Galeni post initium, & Fuchsius l. 1. Instit. Med. sect. 1. c. 1. *tradit, (nempe annis* 586. secũdùm supputationem Jouberti in annotationibus super præfationem Chirurgiæ Guidonis de Gauliaco) *demum florere cæpit; Medicinam pristinæ dignitati, singulari Dei beneficio restituit.*

Ita verò Artem excoluit, propagavit, ac totam absolvit, præclaris in eam rem editis monumentis, ut quæ Hippocrates *duriùs jecit Medicinæ semina, hic quasi in optimũ fundum lætumq; solum demissa, plenis doctrinæ suæ fluminibus, purisq; fontibus irrigùrit:* Valleriola ibidẽ: *quæ apud* Hippocratem *erant obscura, dilucidè explicârit: parum discreta ac limitata distinxerit; quæ defecerunt, supplere studuerit.* Fuchsius l. c.

Ita Medicinam ad pristinam dignitatẽ evexit, ut Empiricorum & Methodicorum *insanias excusserit: quæ nitore exsplendescentis veritatis ex animis & memoria hominum penitùs deinceps evanuêre.* Heurnius in Oratione de Medicinæ origine.

Ipse

Ipse verò l. 3. de loc. affect. cap. 3. *hæc de se scribit: Medicinam usque ad senectutem professus, nullam in hodiernam usq; diem calumniam subii, neque* curando, *neque* præsagiendo: *id quod celeberrimis quibusdam Medicis interdum accidere memini.*

Paracelsicę Medicinæ ortus.

Sola igitur Medicina Rationalis *principatum deinceps obtinuit: donec seculo priore, & quidem patrum nostrorum memoriâ, nova Medicinæ soboles è* Paracelso *nasceretur.*

Caput II.

De Medicinæ Paracelsicæ appellationibus.

Medicina hæc innovata, vel potiùs nova Medicorum Secta, *olim* Paracelsicam *se nūcupavit: ab auctore* Paracelso.

Hodiè communiter Hermetica, Spagirica *&* Chymica *appellatur.*

Hermetica.

Hermetica *autem dicitur, ab* Hermete: *quem, ut antiquitatem ipsius inde adstruerent, prima semina sparsisse tradunt. Is autem quis fuerit, inter omnes non convenit. Non enim unus solùm; sed plures* Hermetes exstiterunt.

Rober-

Robertus Caſtrenſis in præfat. ſup. libr. Morieni Romani de Tranſmutatione metallorum *ſcribit; è veterum hiſtoriis conſtare, tres fuiſſe philoſophos, quorum unuſquiſque* Hermes *vocatus ſit.* Hermetes quot?

Primus *fuit* Enoch; *qui alio nomine* Hermes, *& alio* Mercurius *vocatus.*

Secundus Noë; *qui item aliàs* Hermes, *aliàs* Mercurius *dictus.*

Tertius Hermes Ægypti Rex; *qui, quòd* Rex, Philoſophus & Propheta *eſſet, Triſmegiſti nomen meruit. Hunc neminem hominum fuiſſe* Johan. Goropius Becanus *affirmare, & aliis, multis ingenii atq; eruditionis plenis argumentis, perſuadere conatus eſt.*

Franciſcus Patritius in Hermete Triſmegiſto *è Cicerone, Clemente, Arnobio, & aliis,* quinq; Hermetes *apud Græcos fuiſſe tradit. Inter eos autem duos fuiſſe Ægyptios; alterum* Nili filium, *cujus nomen Ægyptia gens horrebat, & reverebatur exprimere: alterum, qui, cùm* Argum *in Græcia occidiſſet, profugus in Ægyptū delatus, Ægyptios literas docuiſſet, eisq́; leges dediſſet.*

Cæte-

Cæterùm Hermetes Triſmegiſtos *duos fuiſſe ſcribit* Franc. Patritius ibid. *Proavum unum, nepotem alterum.*

Illum Oſiridi *fuiſſe à conſiliis* è Diodoro Siculo Bibliothecæ Hiſt. l. 1. p. 15. *confirmat. Hicne idem ſit, qui* Argum *occiderit, nullo antiquitatis vel iudicio, vel teſtimonio, aut affirmare, aut negare ſe poſſe ait.*

Hunc *ab illo eſſe diverſum ex illo* Hermetis in Aſclepio *probat, dum inquit:* Hermes, *cuius avitum mihi nomen eſt, nonne ſibi cognomini in patria conſiſtens omnes mortales, undiq; venientes, adiuvat atq; conſervat?*

Triſmegiſtus cur dictus? *Vtrumque ante Moyſen floruiſſe refert.* Triſmegiſtos *autem appellatos, non ob rationem anteà adductam; uti nec illam, quòd ſecundùm nõnullos primùm* de Trinitate *diſſeruerint; cùm hoc ipſum priùs* Abramus *&* Zoroaſter *fecerint: Sed more illo* Græcorum *&* Latinorum, *quo dicitur,* Terq; Quaterque beati. *Quod hodieq;* Gallis *in ſua lingua familiare eſt. Hoc enim ipſo ſummam & admirandam ipſorum ſapientiam exprimere voluerunt.*

Eam

Eam præter alia in eo quoq; eluxiſſe te- [...]*atur* Quercetanus l. de Priſc. Philoſ. [...]eræ Medic. materia, &c. c. 1. *quòd mul-* [...]*iugâ & ſublimi inveſtigatione, non ſolùm* [...]*mmam quandam, inculpatam, utiliſſi-* [...]*amq; Medicinam, medendis humani cor-* [...]*oris morbis aptiſſimam; ſed etiam metal-* [...]*s imperfectioribus in perfectiora träſmu-* [...]*andis idoneam invenerint.*

Spagiricam *à* Theophraſto Para- [...]elſo *primùm appellatam, tradit* Zvin- [...]erus in Exam. princip. Chymic. c. 1. [...]ag. 11. ἀπὸ τȣ̃ σπᾷν, *quod vellere, divelle-* [...]*e; &* ἀγείρειν, *quod congregare ſignificat.* [...]*bi quidem* heterogenea; *hic* homoge- [...]ea. Spagirica.

Chymica ἀπὸ τȣ̃ χύειν *dicta fuit; vel* [...]*ltem* ἀπὸ τῶν χυμῶν: *quòd vel ignis ope* [...]*etalla fundat,* Zvingerus ibidem: *vel* [...] *rebus ſuccos eſſentiales eliciat.* Libavius [...]n collat. Hippocraticæ & Hermeti- [...]æ Medicinæ cum ſpuria, *ut appellat,* [...]alenica, præfixa Alchymiæ Trium- [...]hanti. Chymica.

Hæ autem appellationes duæ poſteriores [...]*on totam artem Medicam; ſed partem*

ipsius duntaxat illam, quæ de medicamentorum præparatione agit, exprimunt.

Cur soli Philosophi velint esse Chymici.

Hanc medendi viam qui sequuntur, ii antiquorum Chymicorum *exemplo se solos* Philosophos, *ausu satis insolenti esse, dicique debere eò iactant; quòd* Ratiocinatione *simul &* Experientiâ Philosophicâ, *non plebeia, sive rustica, nitantur.* Philosophicam *autem* Experientiam *sensu philosophico, Chymia obstetricante, quæ ipsorum præcipuum est instrumentum, obtineri aiunt: cui deinde* Ratiocinationes *similes superstruantur.* Zvingerus Physiolog. Med. l. 1. cap. 8. pag. 80.

Caput III.

De Medicinæ Paracelsicæ constitutione in genere.

Paracelsus.

Theophrastus Paracelsus, *natione Germanus, ex Helvetia oriundus, cùm* Galenicæ *quondam &* Arabum *disciplinæ addictus,* Chymicusq; *nec indoctus, nec imperitus esset: propriam tandem Sectam condidit, coacervatis ex omni paradoxorũ, absurdorumque & deliramentorum angulo portentis; quæ fucato quodam colore indu-*

cta

ita studuit verisimilia reddere. Libavius in part.1.comm. Alchemię Epist. Dedicatoria.

Elementorum *enim naturas & conditiones longe diverso modo exponens*, Generationum *ac* Transplantationum *doctrinam cumulatè clareq́; proposuit.*

Astronomiæ vitalis *methodum revocans, morborum generationes & transplantationes aliis* mechanicis *adscripsit,* repudiata humorum familia. *Horū loco* mineralia *introduxit, corporaq́; omnia ex mineralibus constare, auctoritate mundanæ Anatomiæ, demonstravit.*

Indicationes curandi *novas planè, sed magnâ latitudinis potestate explicatas adiecit, & cœtus omnium Medicorum inexspectata hac Artis innovatione, tædio, pœnitentiâ, ira, & confusione replevit.* Petrus Severinus Ideæ Medic. Philosophicæ c.1.

CAPUT IV.

De fundamento, cui Paracelsus Medicinam innovatam superstruxit.

Paracelsi *fundamentum* parvi cum

majore mundo analogia; *hoc est, Hominis cum ipso mundo similitudo exstitit. In qua declaranda eò progressus est: ut ea, quæ in mundo sunt, non per analogiam solùm & similitudinem, sed reipsa & essentialiter in homine reperiri diceret. De qua* rel. 2. part. 1. s. 1. *copiosiùs deinceps tractabimus.*

Cumq; beneficio Spagiriæ & Chymiæ (*quam Vulcanus moderatur*) *partes mistorum heterogeneas ab invicem, ad aliorum se priorum exempla, separavisset; atq; in ista separatione è rebus diversissimis* Salem, Sulphur & Mercurium, *aut his aliquid proportione respondens, emergere vidisset: didicisset quoq; usu, ab his, spiritibus suis impregnatis, præcipuam agẽdi virtutem rebus tribui: hæc rerum omniũ* principia *συστατικὰ constituit.*

Principia Chymica.

Repudiavit igitur non solùm prima illa principia, ab Aristotele Materiæ, Formæ & Privationis *nomine proposita; sed etiam* Elementa aspectabilia, Ignem, Aërem, Aquam, Terram: *utpote quæ ex sese nulla agendi, sed patiẽdi saltem virtute prædita, loca sint, matrices & domicilia*

Elemẽta.

princi-

ncipiorum illorum ſyſtaticorũ, ſpiritus, mina, aſtra & radices rerum complecten- m: Paracelſus in præfat. ſup. l. Me- oror. l. 1. Philoſoph. ſagacis c. 5. ſub .quid ſit generatio, & quę ejus ſpe- es; ibidem c. 11. ſub tit. de dono Me- orico; in Labyrintho Medicorum 11. *& poſt hunc* Petrus Severinus in ea Medic. Phil. c. 5. & reliquis paſ- m: *imò materiæ ſaltem rationem obti- ant;* Severinus ibid. c. 8. *vel, ut alii lo- uuntur, rebus corpulentiã præſtent. Quod* Aqua *&* Terra *inprimis intelligendũ.*

Et quamvis qualitates elementares, ca- ditas, frigiditas, humiditas, ſiccitas *iam concurrant: ſteriles tamen appellant, llasq; actiones ab ipſis edi negant.* Seve- nus ibidem c. 7. *Relollaceas quoq; nũ- pant: qua Etymi tralatione, non ſatis nſtat.* Qualitates elementares.

Terram *quippe ſive* cinerem, *è quo er aquam ſalſedo omnis extracta fuit,* da- nnatam *nominant; quòd nullam vim ræter exſiccantem & emplaſticam obti- eat:* Aquam *verò, Sulphure omni & Mercurio deſtitutam, ac proinde nec odore*

ullo,

ullo, nec sapore præditã. phlegma insipidum *vocãt; quod humectare solùm, non aliud quippiã, quâ tale, efficere possit*. Quercetan. in defensione Hermeticæ Medicinæ c. 14.

Pro confirmatione huius effati Hippocratis autoritatem è l. de veteri Medicina t. 24. dist. Cornarii *producunt. Ita enim illic* Hippocrates. *Primi Medicinæ inventores* non siccum, neque humidum, neq; calidum, neq; frigidum, *neq; aliud quicquam ex his putaverunt hominem lædere, neque aliquo horum homini opus esse opinati sunt; sed quod in unoquoq; forte, & humanâ naturâ potẽtius est, quodque non possit superare, hoc ipsum lædere duxerunt, & hoc auferre quæsiverunt. Fortissimum autem est inter* dulcia dulcissimum; *inter* amara amarissimum; *inter* acida acidissimum: *& in omnibus adeò rebus vigor ipse ac summum. Hæc enim & in homine inesse viderunt, & hominem lædere.* Inest enim in homine & amarum, & salsum, & dulce, & acidum, & acerbum, & fluidum, *& alia infinita, omnigenas facultates habentia copiamq; ac*

NB. NB.

robur.

bur. Atq; hæc quidem iuxta ac inter se temperata, neq; conspicua sunt, neq; hominẽ lædunt. Vbi quid verò horum secretum fuerit, atq; ipsum in seipso fuerit, tùm & conspicuum est, & hominem lædit. Hucusq; Hippocrates.

Paracelsus tract. de Hydrope *singulo Elemento peculiaria sua principia terna συστατικά, suis item seminibus gravida, attribuit: ob quæ unumquodq; fructus, suæ naturæ convenientes, edat.* Severinus ibidem c.6.

Non autem elementis tantùm, sed singulis rerum ordinibus peculiares principiorũ systaticorum differentias attribuunt. Esse enim in rerum famili Salem Animalem, Sulphur Animale, Mercurium Animalem; *esse* Salem Vegetabilem, Sulphur Vegetabile, Mercurium Vegetabilem: *esse* Salem Mineralem, Sulphur Minerale, Mercurium Mineralem, *Severinus ibidem c.7. docet.*

Principiorum Chymicorum differentiæ.

Hic autem notandum; trium illorum principiorum nomine, non Salem communem, Sulphur & Mercurium vulgi *Chymicos intelligere; cùm hæc ipsa indi-*

Nominũ significatio.

vidua ſint in ſuo genere abſoluta: quorum unumquodq; tria pariter in ſe principia cõtinet. Habet enim Sal cõmune *in ſe Sulphur vel Oleum, Mercurium vel Liquorẽ, & adhuc ſubſtantiam quandam ſolidam vel fixam, Salis naturæ propinquiſſimam. Similiter* Sulphur vulgare *Liquorem continet, Oleum & Sal: eodem quoq; modo* Mercurius *Oleum habet, Aquam & Sal. Interim unumquodq; nomen retinet eius, de quo plurimum participat.* Quercetan. de rer. ſignat. internis.

Sed quia differentias trium ſubſtantiarum, è quibus universa corpora componebantur, proprietates & conditiones in nullis totius naturæ ſpeciebus magis explicatas animadverterunt, placuit ipſis ex iiſdem appellationes mutuari. Severinus ibidem c. 7.

Hermetis appellatio.

Ab Hermete Triſmegiſto Corpus, Anima *&* Spiritus *dicta fuerunt:* Sal *ſcilicet per* Corpus *deſignatum;* Sulphur *per* Animam; Mercurius *autem* Spiritus *eſt & ſpirituoſa ſubſtantia. Nam ut duo extrema & remotiſſima,* Corpus *&* Spiritus, *per unum mediũ,* Animam *ſcilicet, in u-*

unam rem subsistentem coniunguntur: Sal & Mercurius *per medium* Sulphur. Helisæus Roslin. in Hypothesibus de Mundo th. 13.

Hippocratis.

Hippocratem *per* Spirituosa, Humida & Solida, *quæ similarium constitutiva posuit, eadem designare voluisse suspicatur* Libavius in Collatione Hermeticæ & Hippocraticæ Medicinę cum spuria Galenica.

Principiorum officia.

Trium autem illorum principiorum hæc dicunt esse officia in mistorum constitutione: ut Sal *quidem consistentiam, soliditatẽ & congelationem tribuat;* Sulphur *verò pingui unctuosâq; suâ substantiâ* salis *congelationẽ benignâ commixtione temperet:* Mercurius *deniq; assidua irrigatione duo priora, actionum frequentia ad siccitatem & senium in horas festinantia, foveat, fluidaq; & labili substantia mixtionem omniũ facilem reddat.* Severinus ibid. c. 8.

Quercetanus tract. de rer. signat. intern. post initium *saporum diversitatem potissimùm à diversitate salium;* odorum *è sulphure;* colorum *ex utrisq; etiã, præcipuè tamen è Mercurio, qui salem re-*

 rum

rerum omnium volatilem ſibi admiſtum habet, deducit.

Ergo cùm Paracelſus *eadem principia in omnibus rebus tàm mineralibus, quàm vegetabilibus & animalibus conſtitueret: ex horum iuſta ſymmetria* ſanitatis, *ametria verò* morborum *rationes venatus, atq; ita ad novam (ut ab ipſo tùm alibi, tùm* l. defenſionum, defenſ. 1. *& aliis nonnullis hodiè etiam nominatur)* Sectam *in Medicina condendam progreſſus eſt.*

CLASSIS SECUNDÆ

Prooemium.

QUanquam *Paracelſus in Paragrano utroq;* Philoſophiam, Aſtronomiam, Alchymiam, & Proprietates, ſeu virtutes, (in quorum locum *in com. ſup. Hippocratis lib.* 1. *aph.* 1. Phyſicam ſubſtituit) in Medico deſideret; hæcq; veluti artis partes Cõſtitutivas eſſe velit: tamen ut pateat, quantum ipſius Medicina ab antiqua illa *Dogmaticorum* differat, placet *σκιαγραφίαν* ipſius ſecundùm Dogmaticæ Medicinæ partes breviſſimè inſtituere.

CAPUT I.

De Phyſiologia.

Cùm Dogmatici *primo loco de ſubiecti co-*

... cognitione sint solliciti, quam præter a... è diligenti Anatomiæ inspectione ve...ntur: Paracelsus l. 1. de orig. morb. ...tribus primis substantiis c. 6. & par... 2. l. 2. de tumoribus, pustulis & ul...ceribus gallicis c. 1. *Anatomiam dupli...cem facit; unam* Localem, *alteram* Ma...terialem, Essatã, *vel* Essentialem. *Illã* Severinus loco allegato c. 3. *mortuam; hanc vitalem appellat.* Anatomiæ distinctio.

Localis *est; quâ corpora in partes no...vacula artificiosè dissecantur, ut appa...reat, quo loco quælibet corporis pars sita sit.*

Essentialis *est; quâ ut unumquodq; ita & corpus humanũ in principia sua* συστατικὰ *...pe Chymiæ resolvitur. Hanc qui aggredi voluerit; eum inprimis* Seminis *naturam & proprietates,* Elementorum *officia & conditiones, Generationum, Mixtionum, Transplantationumq; modos ac auctores,* Astronomiæ *leges, puri ab impuro separationes, crudi maturationes, amaritudinis correctiones, &c. nôsse & explicare debere scribit* Severinus ibid.

Illam *etsi* Paracelsus *in totum & absolutè non rejiciat;* hanc *tamen illi longè ante-*

anteponit. Atq; hoc ipso quidam, qui, etsi vix satis Paracelsi *scripta perlustrârint, aut sensum ipsorum assecuti sint,* Paracelsistarum *titulo superbiunt, adducti fuerũt: ut omnem* Anatomiam Localem *veterum illorum Empiricorum exemplo rejicerent; qui* teste Celso in procem. lib. 1. *mortuorum Anatomiam non solùm fœdã, verùm etiam penitùs inutilem esse contenderunt, eò, quòd pleraq; in mortuis aliter se habeant, atq; in vivis.*

An Anatomia inutilis?

Vbi ad partium usus *declarandos accessit, mirè ibidem, imò absurdè philosophatus est. Aliquando enim* sanguinem *in Epate reperiri negavit:* chylum *ad Epar in spiritus incorporeos mutatum confluere asseruit:* urinam *à nutrimento in venis mesaraicis secerni, ad Epar cum alimento nõ transire, & in vesicam per occultos meatus vaporis modo colligi, & ibidem condensari, exemplo* Asclepiadis apud Gal. l. 1. de nat. facult. c. 13. *dixit:* humoribus, medullis *& alius æquè atq; aliis corporis partibus cordi, lieni, renibus, cerebro, pulmonibus, &c. suos vẽtriculos, in quibus per proprias digestiones & separationes, sua excremen-*

remẽta generarent, de modo pharma-andi tract.1.*attribuit: quod ex eodem* everinus c.11.*repetiit.*

Prætereo alia plura, imò infinita; quæ παραδόξως *hinc inde in ſuis ſcriptis propo-uit. Ad* humores *potiùs accedo.*

Mirum dictu! quantoperè hos paſſim xagitet. Loca ſi allegandaforent: næ in im-enſum caput iſtud excreſceret. Humores.

Nonnunquam tamen parùm ſui memor; uos aliâs penitiſſimè damnaverat, ipſe etiã dmittit. Etenim Archidoxis l.7. ſub. it. de ſpecifico purgativo, *docet, quib. harmacis humores ſinguli educendi ſint.*

Spirituum *doctrinam inſigniter am-liavit; iisq́ ſolis, non verò partium Facul-atibus, omnem agendi potentiam adſcri-ſit. Quæ cauſſa fuit, ut eosdem* Mechani-cos *appellaverit.* Spiritus.

Temperiem *partium è qualitatum e-ementarium concurſu ortam tàm vilipen-lit, tantoq́ deſpectui habet, ut* Theſſali-corum *more balneatorum ſubiectum ap-ellare non vereatur.* Temperies.

§(:)§

CA-

Caput II.
De Pathologia.

Vbi ad Pathologiam *ventum est, morbum substantiam constituit. Qua in re* Paracelsum *sequitur* Severinus: *qui jejunis*, ut c. 3. loquitur, *Prædicamentorum digestionib. unicum panificium longè anteponit, &* c. 12. *Prædicamentorum decoctores impensè ludificat.*

Paradoxon.

Nec substantiam solummodò Paracelsus *morbum nuncupat: sed* l. 2. de morb. podagricis sub titulo Physiognomia, *totum hominem esse, invisibile corpus habere, partem microcosmi existere, imò & ipsum Microcosmum esse.*

Morborũ differentiæ.

Morbos Severinus ibidem *distinguit in* cœlestes, aëreos, aqueos, & terrenos: *Hos in* Saturninos, Martiales, Joviales, Venereos, Mercuriales.

Alibi pro principiorum systaticorum differentia in Sulphureos, Mercuriales & Salarios *dividit.*

Quin aliquando in Epilepsiam, Hydropem, Podagram & Lepram *dispescit: sub quibus ceu sub centurionibus reliquorum grex contineatur.*

Inter-

Interdum Paracelsus *morbos alios* incorporeos *vocat, alios* corporeos.

Incorporeos *quidem; qui subitò atque ex improviso oriuntur, & cæco quasi ac cælesti influxu homines invadunt: unde etiã* Astrales *nominantur. Tales sunt* Apoplexia, Epilepsia, *& similes.*

Corporeos *in* vivos *subdistinguit, &* mortuos.

Mortuos *appellat; qui instar trunci alicuius arboris in terra consistentis, computrescentis, & nulla vitali facultate præditi, in corpore consistunt. Huius generis putat esse* lapidem in vesica *hærentem.*

Vivos *nuncupat: quibus, ceu arbori viventi terra, competẽs è corpore morboso alimentum quasi suppeditatur. Hûc refert* salem *ulcera corrodentem.*

In reddendis morborum caussis *ad impuritates & exaltationes principiorum sytaticorum confugit. His item semina sua & astra adscribit; ob quæ morbi vel propagentur, vel stato & definito tempore emergant, aut recrudescant.* Caussæ.

Humores *si fortè in* Labyrintho Medicorum c. 11. *admittit: matrices ta-*

men

men trium illorum principiorum esse vult, non aliter, atq; quatuor mundi elemēta eorundem matrices appellavit.

Caput III.
De Semiotice.

In Semiotice *inconstans est. Nunc enim eam* probat; *nunc* improbat.

Improbat *autem propterea, quòd per accidentia morborum natura cognosci nequeat: nec rivuli, sed fontes; nec rami & frondes, sed arboris radix investiganda sit. Vt enim quis, ramos arboris alicuius, ob radicum læsionem arefactos, decutiendo, non præcavet; quin alii item arboris rami arefiant: sic etiam non ad signa & symptomata, sed morbum ipsum respiciendum. Hoc enim simili* Paracelsus *alicubi utitur.*

Signorũ differentiæ. *Dum signa* approbat; *ad alia in* corporeorum, *alia* incorporeorum *morborum sedibus investigandis attendit.*

In illis, analogismo quodam ducitur; cùm, ut scribit l. 1. de Podagricis sub titulo Physiognomia, *è talibus nullus sit, qui sui formam corpori vel faciei nō imprimat; ut patet in Ictero & Elephantiasi.*

Excreta. *Excretorum quoque colores non horum ipso-*

psorum, sed partium, è quibus prodeunt, affectus designare lib. de modo pharmacandi tract. 4. *scribit. Illa enim ut coloris; ita omnis virtutis vel sanitatem promovēdi, vel morbos infligendi, expertia esse.*

Urinæ inspectioni *plus satis tribuit. Eam autem in* externam, cruoris seu internam, *&* permistam *distinxit* in com. sup. l. 1. de urinarum judiciis c. 1. & 2. Urina.

Exterior urina *provenit ex iis, quæ aut comedimus, aut bibimus, hoc est, ex nutrimentis: neque quicquam aliud indicat, quàm quod ad stomachum, hepar, aut renes attinet.*

Dicitur quoque urina Tartari; *eò, quòd veniat è tartaro coagulato, putrefacto, aut ex obstructione.*

Urina cruoris vel interna est, *quæ nō prioris instar proximè è nutrimētis oritur, & stomachi, hepatis, aut renū constitutionē designat: sed è reliquarum omnium partium humoribus excrementitiis confluentibus nascitur. Hanc autem haberi posse ait; si æger die præcedente nec edat quicquam, nec bibat. Ex hac cæterarum partium vitia cognosci putat.*

Permiſta *eſt, quæ ex utraq;, externa ſcilicet & interna, componitur.*

Urinarũ deſtillatio.

Paracelſi *ſectatores, magiſtro ſuo diligentiores, aliam ex urinis iudicandi rationem invenerunt media deſtillatione; ut videre eſt in* Tractatu de urinarũ deſtillatione Paracelſo adſcripto.

Nimirum certum urinæ pondus, competens vas, & fornacem deſtillatoriam, *parte ſexta longitudini iuſtæ proportionis ac menſuræ hominis reſpondentia, ſumunt; deſtillationem per competentes ignis gradus inſtituunt; atq; è vaporibus, ad hoc vel illud vaſis deſtillatorii latus partemve delatis, & id genus ſimilibus, de ſede affecta, affectu ipſo, affectus eventu, & aliis, iudicant & pronunciant.*

Porrò incorporeorum *morborum ſedes per remedia quædam ſpiritualia inveſtigari, morbos abigi, & ſanitatem produci una opera, cenſet.*

Remediorum autem illorum alia particularia *eſſe inquit; aliud* univerſale.

Particularia *quidem; quæ uni alicui certo & determinato morbo expugnando ſaltem inſerviant:* univerſale *verò, quod omni-*

Remediũ univerſale.

mnibus morbis sanandis utile sit & ac-
nmodatum.

Hoc Paracelsus l. 4. Archidox. sub
tulo de Quinta essentia in fine, *lapi-
m Philosophorum vocat: eò, quòd ut tin-
ra metallica argentum convertit in au-
m; ita* universale *illud* remedium
*pus ægrum, depulsa ægritudine, in sanū.
uippe ut vermes ignem; ita morbi omnes
dicinam istam universalem fugiūt.* Pa-
celsus ibidem l. 5. sub titulo de Ar-
no lapidis Philosophorum.

Eâ se Lepram, morbum Gallicum,
ydropem, Colicam, Epilepsiam,
poplexiam, Cancrum, Fistulas, &c.
rsanâsse ait l. de Tinctura Physicor.
p. 7.

*Quæ medicina particulari tantò præ-
ntior: quantò præstabilius est, omnes
orbos, quàm unum solummodò aliquem,
igere.*

*In Prognostico instituendo pro more suo
constans etiam fuit. Etenim* l. 1. de orig.
orb. è tribus primis substantiis c. 8.
l. de morbis amentium tract. 2. c. 1.
firmare non veretur: nullum in univer-

sum esse morbum, qui curari nequeat: quoniam ut Deus hostes, ita hostium eorundem adversarios condiderit: ut idcircò nullus morbus sit, qui hominem vel occidat, vel occidere possit.

At Lepram & Hydropem *aliquando curari non posse, idem prodidit. Illam quidem* in comm. lib. 6. Paragraphor. *Hunc verò* peculiari tractatu de Hydrope.

Morbos *quoq;* hæreditarios *incurabiles esse dixit* l. de morb. tartareis c. 7.

Id quoq; alicubi satis imprudenter protulit; Medicum industrium ubiq;, sive æger convalescat, sive supervivat, sive moriatur, optatum finem assequi. Si enim convalescat; *morbo depulso mortem abigere si* supervivat; *morbo procrastinato mortē retardare: si* moriatur; *morbum nihilominus amovere; cùm sæpenumerò evenire possit, ut licet morbus depulsus sit, homo tamen ob fatalis vitæ termini præsentiam exspiret.*

His ineptiis Methodici *quoq; se excusabant; qui, mortuo tandem ægrotante morbum nihilominus abactum prætendebant.*

at, Galen. lib. 2. ad Glaucon. cap. 2.

Caput IV.

De Θεραπείᾳ & Υγιεινῇ.

In θεραπείᾳ Dogmaticis *totus quibuſ-am videtur eſſe cōtrarius. Nam cùm* Do-matici *curationis ſuæ principium conſti-erint iſtud*; contraria contrariis cu-ntur: *ipſe oppoſuit hoc*; ſimilia ſimili-us curantur.

Modum curandi in concluſione l. 1. hiloſophiæ Sagacis *facit quadrupli-m: primum* per Naturam; *ſecundum r* Dei virtutem; *tertium per* Fidem; *uartum per* Dęmones. Curandi modi.

Qui per Naturam *fit: is triplici corpo-um naturalium familia perficitur*; Mi-eralı *ſcilicet, ſub qua metalla & lapides omprehenduntur:* Vegetabili, *&* Ani-mali.

Hæc autem omnia in tria ſua principia υστατικὰ *ope Chymiæ ſecernere iubet: quibus vel ſingulis ſeorſim utamur, vel viciſſim u-nitis.*

Vbi ſciendum; ipſum id, quod ex unione artificiali trium illorum principiorum ſy-ſtaticorum emergit, Elixir *appellaviſſe.*

Remedia *autem è prædictis concinnari dixit vel* particularia; *vel universalia.*

Particularia *nominavit* Specifica: Universalia Lapidem Philosophorũ, Tincturam Physicorum, &c. *De qua re* capite præcedenti.

Qui per Dei virtutem *fit; is manuum impositione, vestium iniectione, & aliis modis obitur; quomodò Sanctos viros ægrotos sanavisse legimus.*

Qui per Fidem; *is geminus esse solet. Aut enim fides fertur in* Deum; *aut in* Dæmonem. *Si in* illum; *divina & cœlesti: si in* hunc, *diabolica & infernali ope æger convalescit.*

Qui per Dæmones; *cùm hi rerum naturalium sint scientissimi, adeoq; agentia patientibus optimè omnium accommodare sciant: si Deus ipsis permittat, Naturalem omninò propter media naturalia evadere censet.*

Diæta. *De Diæta* in com. sup. Hippocratis l. 1. aph. 5. *ita sentit: eam videlicet ad morborum curationem parum conducere; cùm quòd remediis adversùs morbum pugnandum sit: tùm quòd morbus, si quis forsan*

Diætæ

Diætæ *beneficio abactus sit, hâc vicissim immutata recurrat. Quid? quod* Diętâ *susq; deq; habitâ ægros curaverit: ut de ipso scripsit* Oporinus.

In ὑγιεινῇ hoc paradoxon habet: quòd nō sit contra naturam, sed solùm contra nostrū intellectum, vivere posse ad mundi usq; renovationem. l. de vita longa. Paradoxon.

CAPUT V.

De Paracelsi arrogantia.

His igitur stimulis agitatus Paracelsus, *Galenum ac reliquos Asclepiadas maledictis incessit, ac totius terrarum orbis theatrum in suiipsius libris constituens, ïnibi judicatur, vincitq;, & contra omnem antiquit[...]em coronatur, ipseq; à se victor declarat[...]: quæ verba contra* Thessalum *illū Ne[...]nis tempore clarum usurpavit* Galenus l. 1. meth. med. c. 2.

Hoc autem Paracelsus *facit, cùm illic, ubi ad se* Monarchiam omnium Artiū *pervenisse, atq; in hanc à Deo se constitutum esse, ut figmenta* Aristotelis, Galeni, Avicennæ, Mesuei *& reliquorum, quicunque etiam sint, evertat, satis imprudenter, ne dicam impudenter, gloriatur: tùm in* l. Paracelsi arrogantia.

de Tinctura Physicor. c. 4. *ubi* se arcanorum Monarcham *nuncupat; quem omnes, quotquot Philosophiæ naturalis veram cognitionem desiderant, nempe* Itali, Poloni, Galli, Germani, Philosophi, Spagiri, Astronomi, *tanquam Ducem sequi debeant.* ibidem c. 1.

Multò tamen imprudentiùs in præfatione Paragrani *in hæc verba erumpit. Me sequimini; non ego vos sequar: Me, me, inquam, sequimini,* Avicenna, Galene, Rhases, Montagnana, Mesue. *Me sequimini: non ego vos sequar,* Parisienses, Monspelienses, Suevi, Misnici, Colonienses, Viennenses, qui Danubium & Rhenum accolitis. *Vos item* Insulæ marinæ, Italia, Dalmatia, Athenæ, Græci, Arabes, Israëlitæ, *me sequimini, nō ego vos sequar.* Mea *enim* Monarchia.

Hæc & multa alia cōtra Medicos Rationales *suo more* Paracelsus *passim eloquitur. Nec præter rationem. Etenim cùm quis illorum doctrinæ deditus, vix plurium annorum spacio laudabiles in Medicina* Medicinę facilitas. *progressus facere possit: ipse promisit, suâ institutione tantum se præstiturum esse, ut nō qui-*

…idem semestri, (more Thessali, de quo … class. 1. dictum est) verùm annuo spa… in eximium Artis Doctorem quis… m evaderet. Jociscus in Vita Opori… . Idem tamen, quod Thessalus, Paracel… m etiam iactavisse Erastus Disp. Anti… aracelsicar. part. 1. p. 238. auctor est.

CLASSIS TERTIÆ
CAPUT I.
De iis, quæ in Medicina Paracelsica vel laudanda sunt, vel vituperanda, in genere.

Age! annon quispiam (qui in Medici…a Dogmatica *liberaliter sit institutus) …libus auditis, ad iustam indignationem …ommotus, ita adversus* Paracelsum *ex…lamet? Ohe!* Paracelse, *Ohe! Bona ver…a, quæso. Ne triumphes ante victoriam.*

Novimus enim, & libentissimè confite…mur, te planè inutilem operam scriptis tuis non præstitisse. Quippe si quid aliud, illud certè effecisti, ut ingenia nostratium excitarentur, & in nostræ Medicinæ principiorũ veritatem diligentiùs inquirerent. Quod futurum non erat: si tu siluisses. Atq; hoc Scriptorũ Paracelsi utilitas.

ipſum de ſe ingenuè teſtatur Eraſtus in præfat. ſuper diſput. de Humoribus.

Principia. *Novimus deinde & illud, nec infitemur; tria illa* principia *ab aliis introducta, & à te in lucem revocata,* (Salem, Sulphur & Mercurium *intelligimus) non parum lucis ad multarum rerum rationes cùm eruendas, tùm reddendas adferre.*

Morbi Tartarei. *Novimus porrò & iſtud; affectuum nonnullorum cauſſas non uſq; adeò inſulsè à te eſſe allatas: inprimis quod ad* morbos, *quos* Tartareos *appellaviſti, attinet. Quâ*

Chirurgia *utiq; in re, veluti &* Chirurgia, *laudem, quam meritus es, ut tibi non invidemus, ita liquidò tribuimus:*

Chymia. *Hoc inſuper novimus, & pro eo gratias tibi agimus: quòd* Chymiam, *monachorũ clauſtris anteà mancipatam, è triſti ſervitute liberaveris, & Pharmacopœã Dogmaticam* Chymica remediorum præparatione *locupletaveris, ipſeq; multa utilia remedia partim inveneris, partim ab aliis accepta nobiſcum communicaveris.*

In reliquis interdum plus novitati, ambitioni *&* ſuperſtitioni: *quàm piæ* veritati, *& veræ* pietati *ſtuduiſſe videris.*

Ergo

Ergo ut παραδοξολογίας *tuas multas & insignes meritò aversamur: ita non minus illorum* importunitatem *detestamur, qui, nescimus quo odio erga te incensi, & ea, quæ rectè à te dicta sunt, carpere ac damnare non sunt veriti. Certè si quid* nos *iudicamus, maiorem fidem, assensum & applausum apud maximam doctorum hominum partem meruisses, quàm quidem non tàm olim, quàm hodiè etiamnum fieri videmus: si* modestior *fuisses.* Judicium de Paracelso.

Interim illa, de quibus anteà dictum est, tanti adhuc momenti esse non censemus; ut vel animum despondeamus, vel à medendi illa ratione à tot seculis hactenus receptâ, ac multiplici feliciq; rerum successu comprobata & nobilitata penitus deficiamus.

Quin potiùs Apostoli *sequimur consilium; qui nos* Epist. 1. ad Thess. cap. 5. *omnia probare, quod verò bonum est, amplecti ac tenere iubet.*

Satius etiam esse putamus ac tutius: si mediâ viâ *incedamus, quàm si in* extremis *consistamus.*

Quòd si alicui tuum potiùs, quàm nostrũ istud institutum probabitur: ei opponimus

vel unam hanc, eamq; nobilissimam Hippocratis *sententiam; quæ habetur* lib. de
NB. veteri Medicina t.3. dist. Cornarii, *his quidem verbis.* Medicina jam ab antiquo exsistit, & principium ac via inventa est, per quam & inventa multa, & præclarè habentia longo tempore comperta sunt. Reliqua verò deinceps invenientur: modò quis idoneus sit, & iam inventorum gnarus, ex his ad reliquorum investigationẽ progrediatur. At qui his omnibus reiectis ac reprobatis alia via, formaq; alia inquirere conatur, quantumvis aliquid se invenisse glorietur: fallitur tamen is, & fallit. Impossibile enim id est.

Caput II.

De Principiis & Elementis.

Si quis ea omnia, quæ Classibus duabus superioribus *de* Medicina Paracelsica *diximus, sub rationis limam in speciẽ accuratiùs revocare vellet: næ ille, de quibus integra volumina conscribere posset, inveniret. Ergo cùm in præsentia instituti nostri ratio non permittat, ut singula diligentiùs*

ius examinemus: placet summa rerum capita, eaq; præcipua, saltem attingere, & quæ de iis nostra sit sententia, brevissimè proponere: ne nihil de istis dixisse videamur.

Primò igitur quod tria illa principia *concernit; ut ea propter sensuum testimonium lubenter admittimus: ita illis assentiri non possumus, qui* prima illa Aristotelis principia *penitus damnant.* Principia Hermetica.

Rectius equidem sentiunt Quercetanus in Defens. Hermet. Med. cap. 14. Joh. Albertus Wimpinæus in Appēdice Excursionum Defensivarum de Concordia Hippocraticorum & *Pa*racelsistarum, Helisæus Roslin. in Hypothesibus de Mundo, & Harvetus in Demonstrat. veritat. doctr. Chymicæ c. 5. *qui illa concedunt, utpotè cùm omnium prima sint, è quibus res omnes naturales componuntur.* Aristotelica.

Deinde Paracelso, Severino, *& horū asseclis largiri nequimus; quòd* Elementa *solùm receptacula sint & matrices suorum principiorum, atque, veluti &* qualitates *ipsorum, nulla agendi vi polleant.* Elemēta. Qualitates.

De Diogene *enim legimus; ipsum,* Zenone

none *aliquando in Schola, se præsente, subtilissimis rationibus motum negãte, surrexisse & inambulâsse, ac* Zenoni, *quid ageret, interroganti respondisse*; se rationes ipsius confutare.

Scaliger *etiam* Exer. 18. *Cardano, frigus nil nisi caloris esse privationem asserenti, ita respondit:* Soleas abjice ac pileũ, *Cardane:* quo tempore ex alpibus Rœticis urit vos Boreas.

Scilicet contra sensuum evidentiã quippiam defendere, intellectus quãdam imbecillitatẽ arguit. Arist. l. 8. phys. c. 3. t. 22.

Et recte Galenus l. de opt. Secta ad Thrasybul. c. 2. *illos ridet Medicos, qui de rebus sensui evidentibus sententiam non sensoriis, sed demonstratione aliqua ferre conabantur.*

Elementa an matrices.

Adhæc non inficiamur, in Terra *potissimum atq;* Aquâ *plurimarum rerum contineri semina: quæ suo tempore efflorescãt, ac fructus edant. Patet enim hoc ipsum sub* veris adventum, *ubi quæ hyberno tempore emortua esse videbantur, vicissim sese produnt, prorepunt & succrescunt. Patet idem* è plantis; *quæ alicubi locorum sponte*

ſua progerminant, quò ſemen ipſarum ſparſeris. Patet è piſcibus, *qui in ſtagnis lacubus ſæpè viſuntur & inveniũtur, in e generis huiuſmodi piſces illati & repoſi- on fuerunt.*

Quæ etſi ita eſſe comperiamus : ſemina men illa à conſimilis ſpeciei corporibus de- aliquando fuerunt, & in matrices iſtas ſa: ut colligitur è Geneſ. c. 1. *quando us dixit :* producat terra herbam rentem, ferentem ſemen ſuum, & bores frugiferas gignentes ſecun- um ſpeciem ſuam fructus ſuos, ha- ẽteſq; in ſeipſis ſemina ſua, per quæ opagentur.

Ceterùm tria illa rerum principia, *appellant,* συςατικὰ rerum naturalium *eciei unicuiq; fuêre concreata : eaq; pro re- diverſitate diverſa, nobiliora vel igno- liora ; quæ proinde eâdem appellatione nõ nivocè, ſed analogicè ſaltem inſigniuntur.* Principiorum Hermeticorũ origo.

Hæc dum per ſemina cuiuſq; rei promo- entur; mole *quidem ſunt* exigua, *ſed* irtute maxima. *Hæc, neſcio, quid divi- ius, ultra id, quod Elementa, rebus tribuũt. b his, præcipuè tamen* principio illo Virtus.

balsamico & oleoso, (*cui* Dogmaticorum nativum calidum *respondere videtur*) *actiones illæ, quæ à* tota substantia *nominantur, profluere videntur*.

Propagatio.

Hæc igitur ut virtute *sunt* maxima: *ita ob formã illam, per quam sunt id, quod sunt, facultatem obtinẽt, in succos idoneos, ex aliis rebus elicitos, sibiq; assimilatos, virtutem, quâ ipsa pollent, propagandi, & vitales agendi potentias conferendi.*

Hinc videmus, terna *illa* corpora per resolutionem Chymicam ex unaquaq; re prodeuntia, *illas habere operandi virtutes: quas anteà totum possidebat. Atqui hæc illa ipsa esse, quæ in generatione cuiusq; rei per semen tantillum propagabantur; ecquis facilè affirmabit?*

Dictum autem est, in succos idoneos, ex aliis rebus elicitos, virtutes istas propagari. *Qui enim aliter fieri possit?* *Quippe* actio agentis recipitur à determinato & disposito, *secundùm Maximam illam Philosophicam. Quò etiam* Medici *respiciunt, dum* coctionem læsam à frustrata *distinguunt; & illam* læsa Facultate, *hoc est, proximo Facultatis organo,*

gano; hanc ob errorem externum, *seu* *
iectum minus proportionatū, fieri dicunt:
si quis cibos vel qualitate, vel quantitate
xios non concoquat.

Illò accommodari posse videtur locus
Hippocratis è l. 4. de morbis post ini-
tium; *dum ait; in terra innumeras lati-* NB.
re facultates, similem humorem è terra
ahere similem, ex hoc augescere ac nutri-
nullumq́ȝ è terræ nascentibus alteri simi-
esse, quod non æqualem, neqȝ similem hu-
orē è terra trahat. Rosa quippe sibi simi-
m, allium sibi similem, & reliqua ad pro-
rtionem trahunt.

Caput III.
De Physiologia.

Quod in præcedentibus; idem & nunc
servabimus, atqȝ cursim strictimq́ȝ Phy-
siologica *nonnulla dogmata excutiemus.*

De Locali *autem* Anatomia *hoc loco* Anatomia
hil. Libro *enim* secundo parte 1. s. 1. Localis.
ommodiorem de ea differendi occasionem
ncisc emur.

De Essentiali *hoc saltem addimus; sci-* Essentia-
et & huius Dogmaticos *esse studiosos,* lis.
m in partium facultates, facultatumq́ȝ

M *Instru-*

instrumenta diligenter inquirunt, ut patet ex ipsorum libris physiologicis. Quam verò Paracelsici *nobis obtrudunt; næ illa in multis plus satis curiosa esse solet.*

Humorũ divisio.

Humorum *existentiam priusquam asseramus: sciendum, ipsos esse duplices;* alimentarios *alios, alios* excrementitios.

Alimentarii.

Illos *non tam humores actu distinctos, quàm diversas massæ sanguineæ partes appellamus: quarum illa, quæ calida est & humida,* sanguis in specie; *quæ calida & sicca,* bilis, *vel rectiùs* sanguis biliosus; *quæ frigida & humida,* sanguis pituitosus; *quæ frigida & sicca,* sanguis melancholicus *à Medicis accuratioribus nominatur.*

Excremẽtitii.

Hos *humores actu distinctos nuncupare licet. Hi enim suis in locis distincti in corpore quandoq; existunt: quandoq; aliis permisti.*

Hi in corpore exactè sano ut pauci sunt: ita ad venosum genus vix excurrunt, nec in eodem reperiuntur: sed per sua emunctoria secernuntur, & è corpore evacuantur.

Ab his *nulla corporis pars alimoniam susci-*

ſcipit: niſi fortè fames & inedia urgeant; ut aliàs laudabiles ſucci deficiant. Vbi nihilominus natura partium illud adhuc, quod utilius in ipſis eſt, quantum poteſt, ſequeſtrat, & pro ſuo uſu aſſumit: à quo, quia impurius, & ſubſtantiæ nutriti minùs affine, varia incommoda corpori introducuntur.

Hi *unius & ſimplicis generis non ſunt: ſed diverſi. Eſt enim* bilis flava, porracea, vitellina, æruginoſa: pituita inſipida, acida, ſalſa, vitrea, &c. Excremẽtitiorum diviſio.

Illos *dari diverſitas partium arguit, quæ uno & ſimplici ſanguine nutriri non poſſunt, perinde ac plantæ; quarum unaquæq;, quod ſibi conveniens eſt, è terra ſugit. De qua re* paullò antè *dictum eſt. Oſtendit eoſdem ſanguis per venæſectionẽ eductus, & in ſuas partes diſtinctus.* An dentur Alimentarii?

Hos *monſtrant naturales corporum cõſtitutiones, prout hic bilioſus, ille pituitoſus, vel melancholicus: monſtrant edulia: monſtrant anni tempora, huic vel illi humori generando idonea: monſtrant excretiones tàm per naturam, quàm artẽ & medicamenta evacuantia inſtitutæ; quibus* An Excrementii?

diversi generis humores è corpore exturbantur.

Serum, *quod sanguini permiscetur, ὄχημα τροφῆς ab Hippocrate & reliquis Medicis appellatur; eò, quòd distributioni Chyli & sanguinis crassioris inserviat. Id ubi suo perfunctum est munere, & aliquantò largiùs in corpore exsistit; per renes è venis emulgetur, & ad vesicam derivatur, ubi postmodùm excernitur.*

Objectiones. *Excipiunt* Paracelsici. I. *Humoribus istis extra corpora animantium nihil respondere: cùm nec in plantis, nec in mineralibus ostendi queant.* II. *Ex iisdem per resolutionem Chymicam tria illa principia emergere.*

Responsiones. ℞. Ad primum. I. *Fatemur, in illis humores secundùm speciem eosdem non reperiri. Neq; enim opus est. Quippe sufficit, ut in corporibus animantium, & inprimis hominum, reperiantur: de quibus loquimur.*

II. *Per quandam tamen similitudinē* in plantis alimentariorum humorū diversitatem aliquam inesse, *partium docet diversitas. Quæ etsi tanta non sit, atque in animantiū corporibus; nulla tamen*

non

...en est. Quare alio succo radix, alio caules; ...io folia, alio flores nutriuntur.

III. Excrementitios *quoq;* humo...es *in mineralibus & plantis gigni: in* illis *...idem scoriæ; in* his *verò tophi, calli & si...ilia designant.*

IV. *Neq; ipsi* Paracelsici Salem, ...ulphur, *vel oleosam substantiã, &* Mer...urium, *sive liquorem, ante resolutionem ...hymicam in actu perfecto & sensibus con...icuo monstrare possunt.*

At benè possunt monstrare suos humores Dogmatici.

Ad secundum. *Concedimus, per* Chy...niã *humores in prædicta tria resolui. Hoc ...amen ipso nondum humorum existentia ...vertitur. Vt enim, etsi è* Vino *spiritus, ...hlegma & pauxillum oleosi liquoris; è* La...cte *serum, caseus & butyrum secernantur: ...æc tamen secretio non impedit, quò minus, quatenus omnia adhuc naturaliter unita ...sunt, illud* Vinum, *hoc* Lac *appellari de...beat: ita idem de* Humoribus *etiam iu...dicandum.*

Spiritus *quod attinet, sanè non nega...mus, magnam ipsorum vim esse: soli tamen* Spiritus.

omnibus actionibus edendis non sufficiunt. Etenim ad actionem partis alicuius edendam præter Spiritus, *sive* influentes *illi sint, sive in partibus* fixi, (*qui posteriores* calidi nativi *nomine ab aliis appellantur*) *necessaria est non solùm debita in qualitatibus primis* Temperies: *verùm etiam* Conformatio, Magnitudo, partium componentium Numerus, *& earundem non tàm inter se, quàm cum aliis legitima* Connexio *atq;* Situs. *Quibus ipsa quoq; conjungenda est* Unitas. *Absq; hac enim si est, partes itidem operari nequeunt.*

Facultates. *His autem omnibus, ceu supremi quidã rectores, dominantur ipsæ* Facultates: *ad quarum imperium prædicta sese accommodare, mandataq; munia exsequi oportet; modò probè & secundùm naturam sint constituta.*

Temperies. *E quibus manifestum evadit, perperam* Paracelsicos Temperiẽ, *è primis qualitatibus ortam, perstringere; quasi nullius ipsa sit usus. Induc enim parti alicui intemperiem aliquam, sive* calida *ea sit, sive* frida, *&c. experieris profectò, actionem ipsius eòusq; everti, dùm ad temperiem vicissim reducta fuerit.*

CA-

CAPUT IV.

De Pathologia.

Qui morbum substantiam *esse di-erunt, nec in* Dogmaticorum *scholis ulli inventi sunt: inprimis verò* Leonardus Fuchsius, *Medicus insignis, & Medicinæ in Germania à barbarie Repurator non contemnendus.*

Prodierunt postea alii, quales Argenterius, Fernelius, Andernacus, *& ex hodiernis* Gerhardus Columba, *aliiq́; omnes Medici summi: qui novum de novis* substantiæ morbis *dogma cuderunt, & triplici illi morborum generi à* Galeno *proposito superaddendum censuerunt. De quo inpræsentia nihil.*

Paracelso *&* Paracelsicis *illud hoc loco regerimus: scilicet ex hoc ipsorum dogmate sapientiam illam philosophicā, quâ tantoperè superbiunt, & præ se Philosophos alios alto supercilio contemnunt, nos satis agnoscere non posse. Quid enim sit, summa rerum genera confundere, & substantiam accidenti vel miscere, vel huic illius naturam tribuere? si hoc non est. Quid sit effectum à caussa non discernere? si hoc non est.* An morbus substantia?

An totus homo?

Deinde, quando morbum totum hominem *appellat, nisi id sensu allegorico facit: quin absurdissimus omnium habendus sit, ecquis dubitabit?* Totum *autem* hominem *nominare videtur; eò, quòd ut homo è partibus essentialibus conflatur: ita morbus à caussa formali, efficiente & subiecto, essentiam suam suscipiat.*

Sin propterea totum hominem appellat; quòd omnes totius hominis partes afficere & occupare debeat; id quod exemplo Icteri l. 2. de morb, podagric. sub tit. Physiognom. *confirmare videtur: næ ita particulares morbos, ut sunt inflammationes oculorum, aurium, &c. vulnera & ulcera certæ alicuius partis, & similes, è morborũ numero penitùs excludet.*

Morborũ differentiæ.

Morborũ differentias *à caussis morborum vel externis, vel internis petitas, ut facilè admittimus: ita pro essentialibus nõ agnoscimus. Ab his enim quæ petuntur: accidentales tantùm esse solent.*

Neq; verò quatuor illa morborum genera, Epilepsiam, Hydropem, Podagrã & Lepram, *pro summis recipimus, ad quæ reliqui morbi omnes commodè reduci possint.*

nt. *Vt enim de* morbis Intemperiei *ni-l dicam: ad quem è prædictis morbos non paucos* Conformationis *in depravata figura, Superficie & Meatibus: item* Magnitudinis *tàm imminutæ, quam auctæ;* Numeri *quoq; vel excedentis, vel deficiẽtis;* Situs & Connexionis *illegitimæ; & deniq; universam propè morborum Solutæ unitatis cohortem quis benè referre possit?*

Morborum caussas *quod spectat: sanè non diffitentur Dogmatici, per* semina quędam *morbos nonnullos propagari posse. Ita enim observârunt,* Podagricum *à Podagrico,* Calculosum *à Calculoso,* Epilepticum *ab Epileptico, &c. progigni. Viderunt item; multos per* contagium *latiùs serpere; ut sunt* morbus gallicus, febres pestilentes, *& alii.* Caussæ.

Neq; illud diffitentur: Semina ista diu posse in corpore quiescere, ac stato definitoq; tempore in actum erumpere, & paroxysmos periodicos excitare. Quippe sensu edocti fuerunt, morbos alios esse continuos, *alios* periodicos.

Interim illud nõ admittunt, humores Humores.

morborum caussas non esse *dicendas. Vt enim vel maximè concedant, humores trium illorum principiorum esse matrices; utpote cùm per resolutionem Chymicã hæc ex illis educantur: tamen cùm ante Chymicam secretionem actu ab humoribus distincta non sint, caussam equidem satis validam video nullam; quò minùs ipsis* humoribus, *ceu toti complexo*, facultas morbos progignendi attribui *possit: præsertim cùm habeamus exempla nõ tam antiquissimorum, quàm præstantissimorũ Medicorum*, Hippocratis *inprimis, & ipsius assectarum, cùm priscorum, tùm recẽtiorum.*

Quò non parum momenti ipsa etiam curatio adferre videtur: quæ hactenus nõ infeliciter pro humorum diversitate fuit instituta. Humoribus *quippe probè præparatis, & per competentia remedia evacuantia è corpore exturbatis; quin simul è corpore eiiciatur illud, quod humoribus admistum erat, à vero non est alienum.*

Vnde etsi diversis quodammodò Indicantibus *niti videantur: ad eundem tamen scopum, ad quem* Paracelsici, *collimant,*

nant, eundemq; non minùs feliciter attingunt: hoc est, morbum depellunt, & sanitatem promovent.

Caput V.
De Semiotice.

Cujus

MEMBRUM. I.
De Signis in genere.

Qvi Signorum doctrinam inutilem & non necessariam esse profitentur: ii certè non levem Medicinæ partem detrahunt. Nam licet ipsa ad Curationis cognitionem necessaria esse non videatur: necessaria tamen est ad Curationis exsecutionem, ut colligitur è Galeni l. Artis Medicæ c. 2. & in com. 1. sup. l. Hippocratis de Articulis t. 33. Signorum utilitas & necessitas.

Verbi gratia: *potest aliquis nôsse, quomodò partis huius vel illius inflammatio, aut alius quicunq; præternaturalis affectus curandus sit: quantumvis, quâ ratione affectus eosdem agnoscere, & ab aliis dignoscere debeat, cognitum nullo modo habeat. At si ad eorundem affectuum curationem actu descendere velit; næ ille non sui tantùm*

respectu

respectu frustraneam, sed & ægri periculosam omninò operam suscipiet; nisi sciverit, quibus signis affectum unumquemq; internoscere, & quid de eiusdem eventu prædicere ipsum oporteat.

Non igitur admittimus Paracelsi *illud effatũ: quòd morborum natura per accidentia quædam, seu signa, cognosci nequeat. Cuius effati falsitas ex eo magis magisq; elucet: quòd* Paracelsus *ipsemet, veritate tãdem victus,* signorum doctrinam alibi probavit & amplexus fuit.

Signorum fontes.

Quanquam verò aliàs quatuor *sint* signorum genera, *ad quæ tota signorum cohors reduci potest; nempe I. quæ petuntur ab* ipsa rei natura *atque essentia, vel, ut* Galen. loquitur l. Artis Medicę c. 8. *ab iis, quæ secundum essentiæ rationem insunt: II. quæ ex* necessitate *consequuntur, h. e. symptomatibus atq; accidẽtibus; quorũ alia ad* actiones læsas, *alia ad excreta, vel* retenta *permutata; alia ad* qualitates *corporis alteratas pertinent: III. à* causis, *tàm* externis, *quàm* internis; *tàm per se, quàm per accidens; tàm iuvantibus, quàm nocentibus. &c. IV. à* simili *vel* dissimili: *omnia tamen hoc in loco excutere, & quid* Para-

elsus *in unoquoq; peculiare habeat, monrare non libet; sed ea potiùs, quæ supra ex psius mẽte proposuimus, examinare placet.*

MEMBRUM II.

De Excretis in genere.

Ergo Excreta *quod in genere attinet, uo sunt; quæ de iis tradit* 1. *quòd non suos, ed partium, è quibus prodeunt, affectus designent.* 2. *quòd ut coloris, ita omnis virtuis, vel sanitatem promovendi, vel morbos nfligendi expertia sint.*

℞. Ad primum. *I. Verum est;* excreta *nonnunquam non suos, sed* partium, è uibus *progrediuntur,* affectus significae. *Ita enim aliquando vel membrorum aliqua particula; vel res in parte aliqua contineri solita excernitur.* Illius *ratione exiguæ carunculæ cum urina profluentes renũ vitium,* Hippocrates l. 4. aph. 76. *furfuracea cũ urina crassa reddita vesicæ scabiem,* ibid. aph. 77. *squamulæ cum urina graveolente excretæ vesicæ exulcerationem denotant.* ibid. aph. 81. &c. Hujus, *cibus & potus per vulnus effluẽs vẽtriculi;* chylus *& ventriculi & tenuium intestinorũ;* urina, *viarum urinariarum;* stercora, Quid Excreta significent.

crassio-

crassiorum intestinorum vulnus aut ulcus demonstrant.

II. Aliquādo excreta *non tantùm partium, sed &* propriam naturam *ostendunt. Patet hoc in variis excretorum generibus, per has vel illas vias emissis. Ita* quidam Juris Licentiatus *æstate* Anni superioris 1610. *mihi significavit; parentē ipsius urinam continere non potuisse, tàm verò acrem reddidisse, ut pannos, quos contingeret, aquæ fortis instar corroderet. Ob quod malum brevi vita functus fuit.*

Historia.

Ad secundum. *Negamus I. quòd excreta omnia suapte naturâ coloris omnis sint expertia. Unde enim tot bilis facies? ne dicam de aliis.*

An Excreta morbos pariant?

Negamus II. *quòd excreta nec sanitatem promovere, nec morbos infligere possint. Nā sive excernenda supprimātur diutius, sive profluant largiùs: utrinq; tamen magna incommoda proveniunt. Et quidē, qui* excretorum suppressionem *nihil mali adferre dixerit: is vel solas fœminas, mensium suppressione laborātes, intueatur; ne quid adferam de hæmorrhoidum, alvi fecum, urinarum, &c. suppressione. Quas enim*

*...im molestias fœminæ perferre, quos mor-
...s ultrò citroq́; sustinere cogantur, res ipsa
...ssim loquitur. Ex adverso* nimium ex-
...cretorum, *puta sanguinis*, effluvium;
*...non vires exhaurit, corpus tabefacit, aut
...ydropem accersit?*

Membrum III.
De Urinis.

Deinde quod urinas in specie concernit; ...ò usq; prædictio ex ipsis facienda institu...daq; sit, infra lib. 2. parte 3. *dicetur. In ...æsentia illud saltem* Paracelsi sectato...um *dogma brevissimè considerabimus:* ...trum ex urinarum destillatione ju...icandi ratio utilitatis aliquid ad...erat? Quæstio.

De qua re sic sentimus. Si urinarũ de...illatio *citra superstitionem instituatur:* ...ota in universum damnanda non ...st. *Per eam enim id quis consequitur, ut ...iat; qui humores in corpore, & quantâ ...piâ redundent. Hâc enim ratione de aquis ...edicatis*, thermis *videlicet*, & acidulis, *...dicium fieri tam notum est, quàm quod ...otissimum. At quis ex medicis tantum la...oris suscipere, tantumque molestiarum ac*

tædii

tædii in omnium urinarum examine susti-nere velit? præsertim, si copiosos habeat pa-tientes.

Superstitio in destillatione urinarum.

I. *Verùm dum* certum urinæ pondus, vas, fornacemq; destillatoriam *competentem, hoc est, parte sexta longitudini justæ proportionis ac mensuræ hominis respondentem superstitiosè sumendam esse cõtendunt: næ illi se egregiè deridendos propinant. Quid enim hæc prædictorum proportio ad maioris minorisve longitudinis homines? Quadrabit enim solùm illis hominibus, qui ipsi proportionati sunt. Quare pro diversitate magnitudinis hominum,* & urinæ pondus, *&* vas, *&* fornacem destillatoriam *variam esse oportebit.*

II. *Deinde, quid certum* urinæ pondus *momenti adferre potest? Annon enim satius sit, totam, quæ semel redditur, sumere? sive illa pondere illo sit gravior, sive levior. Hæc enim meliùs fortassis de corporis affectu testabitur: si modò aliquid testari potest; quàm si vel pondus ipsius imminuatur, vel augeatur. Illic quippe urina imminuta affectus mutari; hic auctâ, variari item videtur.*

Illùc

Illuc non ineptè videtur quadrare lepida illa hiſtoria: quam legimus apud Foreſtũ de Incerto Urinar. judic. l. 2. c. 5. *Ruſticus quidam hyeme & tempore admodum frigido, ut aqua gelu concreta foret, uxoris urinam, igne iterum ſolutam, ad Medicum deferebat.* Medicus *ruſtici ſimplicitatem animadvertens, cœpit interrogare: numquid uxoris ipſius urina eſſet? Reſpondit* ruſticus, *ita eſſe: iuſſit tamen, ut Medicus lotium diligenter inſpiceret, ac numquid & alia ex eo cognoſceret, ſibi indicaret.* Medico *igitur urinam inſpicienti ſuſpicio de dolore aliquo externo oborta eſt; cùm urina optimi coloris eſſet. De dolore autem cùm inquireret: papæ! exclamavit* ruſticus: *rectè divinâſti. Sed unde dolor, inquit, quẽ in latere livido jam facto patitur?* Medico *de colore livido foris apparente edocto, nõ difficile fuit divinare, ipſum è caſu quopiam aut ictu ortum fuiſſe. Quapropter rogavit: numquid uxor cecidiſſet?* Ruſticus *Medicum miratus, quòd & hoc rectè prædixiſſet:* Magiſter, *inquit*, ſi mihi dices, ubinam ipſa ceciderit, habeberis à me inter omnes alios Medicos facilè

Hiſtoria.

primus. *Medicus istam coloni stupiditatē agnoscens, ædium rationem evolvit, atque uxorē per gradus vel scalas delapsam fuisse pronūciavit. Tum* rusticus, *per Iovem, inquit,* si mihi è lotio narrare noveris, per quot gradus ipsa deciderit, optimum te artificem apud omnes decātabo. *Tunc Medicus, cubilia rustica minus alta esse sciens: fortassis per* duodecim gradus *uxorem decidisse ait. Rusticus verò diligenter, inquit, urinam inspicias: nam plures esse debent.* Medicus *igitur, Lubrica, respondit, via nunc est præ nimio gelu: numquid in terram ex improviso lapsus urinæ nonnihil effudisti?* Rusticus, *ut homo erat simplicissimus, Medicum non aliter quàm vatem aspexit, atq; eius ex urina iudicium admiratus; cecidi, inquit, & urinæ nonnihil effudi. Quamobrem cùm* Medicus *hoc inaudivisset, gravem se ostendit, & cum gravitate quadam rusticum ita allocutus est*: Amice, eo in loco, in quo te cecidisse affirmas, reliquos gradus inquire. Eos enim in matula hac non habeo. *Hæc è Foresto.*

III. *Adhæc* cuius ope vapores ad has vel illas

illas, *& quidem determinatas* vasis partes, *atq; corporis humani partibus respondentes*, elevantur? *Num ope* caloris ignei? *Atqui iste agens externum est: & prout in urinam, in vase destillatorio contentam, æqualiter agit; ita æqualiter etiam vapores ex eadem gignere, & non magis ad hanc, quàm illam vasis destillatorii partem ipsos propellere & elevare posse videtur.*

Num verò spiritus quispiā mechanicus *ipsi urinæ insidet? qui hæc omnia efficit. Atqui cur certum urinæ pondus requiritur. Si enim talis aliquis datur: ipsum in tota urina simul & semel excreta non minùs, quàm certo duntaxat pondere ab illa detracto, inesse debere, vero videtur simile.*

Sanè si spiritus quispiam mechanicus *ista moderatur: quis ille præter dæmonē esse possit, non videmus. Ab hoc enim superstitiosis multa imponi:* suprà de Medicina Magica *dictum est.*

Bellè etiam istos Vrinarum destillatores irridet Zvingerus Physiologiæ Medicæ lib. 1. cap. 8. mihi pag. 89. *dum ex iis quærit: cur non pari ratione etiam stercus, propter ventris inferioris morbos, per de-*

ſtillationem examinent? Sed de his ſatis.

Membrum IV.

De aliis nonnullis Semioticis.

Remedia morbos inveſtigãtia.

Porrò ad ea, quæ de remediorum nõnullorum ſpiritualium efficacia Paracelſus *adfert; quibus quorundam morborũ (quos* incorporeos *nominat) ſedes explorari, morbi unâ operâ abigi, ac ſanitas reſtitui poſſit; quod reſpondeamus, vix invenimus. Hoc ſaltem addimus, maximã ipſum gratiam apud omnes Medicos promeriturum fuiſſe, ſi talium eos participes feciſſet. Ita enim à magnis difficultatibus, quibus inter morborum naturæ, eorundemq́ʒ ſedium inveſtigationem aliàs implicantur, liberati fuiſſent.*

Talia remedia num habeantur; hoc in loco non diſputamus: ſed aliis de iis uberiùs cogitandi anſam ſubminiſtramus.

De Univerſali remedio *dubia noſtra* ſequenti capite *proponemus.*

Inſuper Paracelſi *liberalitatem in formando* Prognoſtico *quod ſpectat, dum nullum eſſe morbum ſcribit, qui curari nequeat; de ea* l. 3. part. 2. ſub finem *nonnulla adferemus.*

Reliqua

Reliqua quæ Methodicorum *ineptias sapiunt, refutatione nulla indigent: sed sua sponte corruunt.*

Caput VI.

De θεραπεία & Υγιεινῆ:

Cuius

Quæstionis primæ

Membrum I.

De Principio Therapeutico Dogmaticorum.

Contraria contrariorum esse remedia; *primus omnium* Hippocrates, *vel quisquis etiam auctor fuit* l. de flatib. t. 2. dist. Cornarii, *affirmavit. Quippe contrariorum ea est natura, ut simul consistere nequeant, sed se mutuò perimant atque expellant.* Plato in Alcibiade 2. sub initium, & Aristoteles l. Categoriar. c. de Contrariis.

Contrariorum natura.

Hinc Galenus lib. de Artis Medic. constit c. 12. l. Artis Medicinal. c. 89. l. 5. de tuen. sanit. c. 10. & ibid. c. 12. l. 1. de sympt. caus. c. 6. l. 1. Epidem. com. 2. t. 7. ibid. l. 6. com. 2. t. 9. lib. 3. de simpl. med. fac, c. 12. l. 1. de compos. med. sec.

gen.c.2.l.4. meth.med.c. 2. ibid.l.11. c.12.com.3.in lib.Hippocratis, de iis, quæ in Medicatr. fiunt, t. 32. *& alibi passim,item* Avicenna l.1.fen. 4.cap.1. *ait: quòd curatio unam præcipuam & communissimam habeat intentionem ad id, quod dispositioni auferendæ est contrarium.*

Contra hoc autem axioma ab aliis alia obiecta fuerunt, ut ipsius Universalitatem everterent: quemadmodum videre est non solùm apud Galenum locis nonnullis anteà citatis, *verùm etiam* Conciliatorem differ. 153. Turisanum in Art. parvam lib. 3. com.35. Argenterium, Thomam à Vega, Nicolaum Biesium com.in eundem locum, nempe Art. Medic.c.89. Joh.Bapt.Montanũ suæ Medic.part.3.p.822.Fernelium lib.1. meth. med. c. 2. Fuchsium l.5. Instit. Med.c.3. Valleriolam l.3. loc.comm. c.14. Valles.l.8.Controv.c.4. Vidum Vidium de Curatione generatim l. 12.c.4.Wittensteinium in forma Medicinæ c.15. Ludovicum Mercatum Tomo 1.l.3.part.3.class.1.Joh.Paullũ Pernumiam in Practica generali sub initium,

initium, Heurnium Prax. general. 63. c. 2. Horat. Augenium Epist. Medic. Tomo 3. l. 1. Epist. 3. c. 4. Montaltum de Homine sano lib. 3. cap. 14. *& alios plures*.

Eorum tamen, quæ pro defensione axiomatis illius ab auctoribus hinc inde adferuntur, summa hæc est. Axiomatis Dogmaticorum Therapeutici defensio.

I. Non homines tantùm, sed & bruta, æstuantia quidẽ umbras & frigora; algentia verò calorem naturæ ductu captant: & nimio alimento repleta Vomitione, Sanguinis effusione, aut Inediâ sibi medentur. Vide suprà parte 1. s. 3. c. 4.

II. Remedium morbum vincit, & sanitatem reducit. *Atqui hoc citra cõtrarietatem fieri non potest.*

III. Morbus & remedium differũt terminis extremis. *Cùm enim morbus sit* ἀμετρία *quædam, sanitas autem* συμμετρία*: ad hanc profectò reditus fieri non potest, nisi per contrarium remedium; quod etiam necessariò debet esse* ἄμετρον. *Si enim* σύμμετρον *esset, ex eius actione* ἀμετρία *contraria ad* συμμετρίαν *competentem non reduceretur. Si verò* simile *esset, morbus ab*

eo potiùs augeretur & intenderetur, quàm minueretur.

Interim hæc notanda.

Remediũ quomodò morbo contrarium.

I. Remedium ſimpliciter conſideratum, *& prout à corpore animantis eſt ſejunctum,* morbo non eſſe contrariũ, niſi remotè, atq; in potentia: *evadere autem contrarium, dum animato corpori adjungitur, & ab eodem in actum deducitur.*

II. Remedium actuatum *immediatè quidem* morbo cõtrariari; *verùm* non primò *& propria ſemper virtute, ſed* ſecundariò *& ope naturæ: quam* Hippocrates l.6.Epidem.ſ.5.t.1.*morborum medicatricem eſſe pronunciavit.*

III. Contraria non ſtrictè, *& pro iis, quæ propriè talia ſunt, atq; ad Prædicamentum Qualitatis pertinent,* ſed laxiùs ſumi pro oppoſitis: *quatenus iis etiam contrarietas competit, quæ ſub alio ſunt genere, puta* Quantitatis *&* Situs, &c.

Morbus in quo Prædicamento.

Poſſet tamen quiſpiam contra hoc ipſum excipere, ac fortaſſis probare, non laxam tãtùm & impropriam, ſed veram contrarietatem ubiq; reperiri. Neq; *enim* morbus ad di-

ad diversas Categorias, *ut præter alios* Turisanus in Art. parv. l. 3. comm. 59. *statuit*: sed unam Categoriæ Qualitatis primam speciem, *Dispositionem scilicet*, pertinet. *Quippe ut non Temperies, non Numerus, non Magnitudo, non Figura, non Meatus, non Superficies, nõ Situs per se, & quatenus talia, sanitatem constituunt: ita nec eadem mutata, quâ itidem talia, morbi sunt: sed quatenus vitium peculiare, seu dispositionem & qualitatẽ quãdam improportionatam obtinent, quæ in ipsis fundamentum suum habet, & à qua partium operationes læduntur.* Conciliator diff. 74. Thomas à Vega in com. sup. Galeni Art. Med. c. 5. Horatius Augenius Tomo 3. Epist. Med. lib. 1. Epist. 1. Ludov. Mercatus Tomo 1. l. 2. class. 1. art. 1. dist. 3. & 4. ibid. l. 3. class. 1. art. 1. dist. 25. ibid. art. 2. dist. 11. *Quò etiam inclinare videtur* Joh. Bapt. Montanus in com. sup. Avicennę l. 1. fen. 2. doct. 1. c. 1. lect. 2.

IV. Remedium non semper per se, *sed aliquando per accidens* morbo cõtrariari: *quatenus caussam tollit. Si fluxus,*

xus, fluxu: vomitus, vomitu; Galen. l. 6. Epid. com. 2. t. 9. *tussis, tussi; febris synocha, sanguinis missione*; l. 9. meth. med. c. 4. *febres biliosæ, Rhabarbaro; lassitudo, ab humorib. crudis, in habitu corporis collectis, orta, exercitio; tetanus sine ulcere, in juvene eusarco, & æstate media, frigidæ largâ perfusione*; Hippocrates l. 5. aph. 21. *scorpii ictus olei eiusdem inunctione curatur.*

Atque hæc sunt, quæ de principio illo Therapeutico à Dogmaticis *adferri solent.*

MEMBRUM II.
De Principio Therapeutico Hermeticorum.

Qui Hermeticorum *placita amplectuntur, ii* similia similibus curari *asserunt. Huius autem sui dogmatis Triplicem sensum adferunt.*

Quomodò similia similibus curentur.

Primus est: similia similibus curari *quatenus ipsi corporis virtuti de similibus prospicitur, ipsiusq; languor medicamentis balsamicis abigitur, ac robur intēditur.* Natura *quippe* est, quę morbos, infensissimos humani corporis hostes, doma-

& abigit: *vel Hippocrate adſtipulante.* Natura eſt: quę cruda concoquit, cocta expellit, & criſes adminiſtrat. *Cui ſi cōtraria quis offerre vellet: næ vires, morbi violentiâ anteà oppreſſas, magis magisq́ʒ læderet.*

Secundus eſt: ſimilia ſimilibus curari; *quatenus morbus Sulphureus remediis ſulphureis, Mercurialis mercurialibus, Salarius ſalariis, &c. ſanatur*: purgantia *ſubſtantiæ familiaritate humores educunt*; ſpecifica *morbis adhibentur*; *& huic vel illi parti* appropriata *reliquis, inſtar comitum, atqʒ loci affecti monſtratorum, admiſcentur.*

Tertius eſt: ſimilia ſimilibus curari; *quatenus etiam in ſtatu præternaturali ad Sanitatem, ceu ultimum ſcopum, attendere oportet; quæ uti naturæ ſimilibus & familiaribus conſervatur; ita per eadem reparatur.*

MEMBRUM III.
De Conciliatione Dogmaticorum, & Hermeticorum.

E prædictis patet; Medicos Dogmaticos ab Hermeticis non tàm re-

bus, quàm verbis ſolùm diſſentire.

ARTICULUS I.

Etenim quod primum dogmatis Hermetici ſenſum de *curatione per ſimilia attinet: is Dogmaticorum axiomati generali contrarius non eſt. Fatentur enim & ipſi Dogmatici*, naturæ robur per ſimilia vel conſervandum, vel intendendum eſſe: *utpote cùm natura ſola ſit, quæ morbos primariò curat, ac quâ invitâ nihil omninò Medicus proficit.*

Indicantia quot?

Hinc Dogmatici tria *primaria* Methodi Therapeuticæ Indicantia *cõſtituũt; quorum primum* Morbus *eſt, alterum* morbi Cauſſa, *tertiũ* Vires. *Et* Morbo *quidem ſemper de contrariis;* Cauſſæ *verò nonnunquam quò ad ſubſtantiam quidem ſimilibus, quò ad qualitates verò & effectu cõtrariis;* Viribus *deniq; de ſolis ſimilibu proſpiciendum eſſe monent.*

Similia *autem, de quibus viribus proſpiciatur, vel* alimenta *eſſe dicũt, vel* medicamenta: *quorum hæc occulta quadam & ſpecifica virtute, cùm totius corporis vire tùm inprimis ipſius cordis refocillare poſ ſint.* Cor *enim eſt, quod, ceu Animæ qu*

Cordis præſtantia.

da

dam Vicarius, corpus regit, ipsiusq; virtutem conservat.

Etsi verò Natura *utplurimum* (*Medicum enim primas curandi partes aliquando obire*, infrà l. 3. *ostendemus)* primarius Curationis *sit* architectus : *tamen Medicum non ad id solummodò attendere oportet, ut per similium exhibitionem naturæ succurat ; verùm etiam ut impedimenta, quæ naturam inter curandum morari poterant, commodis præsidiis tollat.*

E.g. *Quanquam* naturę opus *sit* vulnus conglutinare, & cicatrice obducta claudere: *tamen nisi Chirurgus ope suâ* sanguinem *manantem sistat*; humores *ad vulnus confluentes vel aliò derivet & revellat; vel è corpore evacuet ;* saniem *& sordes expurget :* nimiam humiditatem *in vulnere exsiccet* : carnis luxuriam *remediis competentibus compescat* ; vulneris labia *arctissimè stringat, &c. nō tantùm vulneris consolidatio protrahitur: verùm etiam aliquando non tàm cicatrix deformis demum fieri, quàm aliud malum parti conciliari potest.*

Chirurgi in curando vulnere officia.

Ita in morbis *quoq;* internis *evenit* :

ut nisi

ut nisi Medicus certa quædam Naturæ impedimenta auferat, ipsa itidem curatio, vel procrastinetur, vel gravius aliquod incommodum corpori accedat.

ARTICULUS II.

Deinde quod ad alterum *eiusdem* dogmatis Hermetici sensum *spectat: neq; is eidem Dogmaticorum axiomati contrarius est.*

Sit enim ita; morbos Salarios *curari remediis salariis,* Sulphureos *sulphureis, &c. locum tamen & hic habet contrarietas. Nam etsi generatim cõsiderata similia sint: speciatim tamẽ accepta contraria reipsa esse deprehenduntur, secundum illud* Aristotelicum l. 5. Metaph. cap. 10. *contraria sunt, quæ sub eodem genere plurimùm invicem distant.*

Calculus. *Quare* calculus, tophi, *omnesq; in universum* obstructiones, *à materia tartarea oborta, &* à sale coagulante productæ, *sanantur quidem alio sale; sed incidente & resolvente.* At quis negaverit? coagulans & resolvens esse cõtraria.

Ulcus. *Sic* ulcus, *quod fit à sale acri, mordaci & corrodẽte, curatur alio sale leni, miti, carnis genera-*

generationē & consolidationē promovente. Quis verò & hic nō agnoscit contrarietatē?

Febres, *quas* Hermetici ab inflammato sulphure progigni scribunt, *sopiuntur aciditate Sulphureâ & Vitriolatâ, spirituum ferociam reprimente: ut vel pyrii pulveris exemplo probat* Quercet. l. 1. de Prisc. Philosophorum Med. c. 8. *Is n. aciditate illa ita mutatur, ut ne flammam quidem amplius concipiat. Quis iam & hic contrarietatem non videt?* Febres.

Purgantia porrò, specifica & appropriata, *etsi similitudine quadam vel respectu caussarum, vel partium agere videantur: ipsius tamen* morbi respectu contraria *itidem sunt, quamvis nō per se, sed ex accidēte: utpote cùm vel ablatis caussis, vel remedio ad partem affectā deducto, ad morbi amotionem plurimum adiumenti adferant.*

Quam verò nonnulli similitudinem remediorum & morborū, ab externis quibusdam signaturis *petitam, tantoperè cōmendāt: næ ea parum vel nihil certitudinis obtinet, de gravissimo* Libavii *iudicio* in Triumpho Alchym. c. 48. p. 537. *Nux enim* Signaturę.

enim moschata nō ideò confert capiti, quia capitis formā habet: cùm deprehensum sit, eandē aliquando delirium excitâsse. Nux juglans cortice refert Cranium, nucleo Cerebrum. Sed hæc nota tàm lædentis potest esse, quàm iuvantis. Fortuitum enim est, si respondeāt res formis externis.

Sanitas ultimus Medici scopus.

ARTICULUS III.

Deniq; nec ultimus sensus *Dogmaticis quicquam officit. Fatentur enim & ipsi,* primum quidem in intentione, ultimum verò in acquisitione, *etiā in statu præternaturali*, scopū esse Sanitatem.

Interim illud quoq; addunt; scopum intermedium morbi esse depulsionem.

Quia verò ille acquiri nequit, nisi intermedius iste priùs acquisitus sit; hicq; non nisi per contraria, uti ostensum est, acquiratur: constat, veram etiamnū esse Dogmaticorum *maximā; quòd* contraria contrariis curentur.

Vbi verò Morbus profligatus, & planè abactus est, ac Sanitas vicissim emergit; Sanitas, *quia imbecilla est*, similium exhibitione *postea* confirmanda, *& huic rei soli demū insistendum. Id quod præstatur*

part

parte Medicinæ, quæ ἀναληπτικὴ dicta eſt.

Excipiunt I. Morbum aliquando ſolùm eſſe privationem, *atq; in defectu conſiſtere; cui non per contrarium, ſed ſimile Medicum mederi oporteat.* II. Cùm omnis curatio ſanitatis gratiâ inſtituatur: *proinde à ſimilitudine potiùs, quàm contrarietate ipſam pendere; utpote cùm fieri poſſit, ut per hanc natura lædatur.* Objectiones.

℞. Ad primum.

I. Negamus; morbum *propriè privationem eſſe, ac* nihil poſitivæ Entitatis poſſidere. *Qui enim aliàs partium actiones læderet? cùm* privationis nulla *ſit* actio. Reſponſiones.

II. *Concedimus;* morbum impropriè Privationem ſanitatis appellari *poſſe, quemadmodum frigus caloris, & hic illius privatio dicitur. At hæc ſignificatio poſitivam Entitatem non excludit.*

III. *Sit parti alicui introducta intemperies aliqua, frigida, vel calida. Harum utraq; defectus quidam temperiei naturalis eſſe videtur; &* illa *quidem caloris;* hæc *frigiditatis. Reducenda jam ſit utraque ad naturalem temperiem: quæritur,* num re-

ductio iſta per ſimilia, an verò per contraria inſtituenda ſit?

Reſpondemus: per ſimilia *inſtituendã, ratione temperiei naturalis;* per contraria, *ratione intemperiei præſentis. Ita igitur dum in correctione intemperiei frigidæ adhibentur calida; calida iſta ſimilia quidem ſunt temperiei naturali calidæ; diſſimilia autem & contraria intemperiei frigidæ.*

Ad ſecundum.

Similitudo in curatione quid?

Concedimus; in curatione ad ſimilitudinem quandam attendendũ eſſe. *Conſiſtit autem ſimilitudo iſta in eo, ut per* remedia, tàm quò ad qualitatẽ, quàm qualitatis gradum congrua *atque accommodata, partibus corporis talis iterum introducatur diſpoſitio, quæ priori illi diſpoſitioni, tempore ſanitatis parti unicuiq; familiari, reſpondeat: ita quidem, ut nec in defectu, nec exceſſu peccet. Vnde ſit, ut* remedia nec intenſiora, nec remiſſiora eſſe oporteat.

Nam ſi intenſiora *ſint; facile eſt, ut per ſuam alterationem aliam intemperiem, & quidem præſenti intemperiei contrariam,* *intro-*

introducant, & corpus in alium morbum præcipitent. Si verò remiſſiora; *metus eſt, ne reliquias aliquas morborum relinquant.*

Quæ cauſſa fuit, ut Galenus l. de Medic. Art. Conſt. c. 12. l. Art. Med. c. 95. l. 1. aph. com. 14. *poſt hunc* Horat. Augenius Tomo 2. Epiſt. Med. l. 2. Epiſt. 2. Tomo 3. l. 6. Epiſt. 2. ſ. 1. p. 226. *Item* Tomo 1. lib. 1. de ſang. miſſ. c. 3. Capivaccius in meth. med. c. 9. Augerius Ferrerius l. 1. meth. med. c. 4. & Mercatus Tomo 1. l. 3. part. 3. claſſ. 2. art. 2. §§ 31. 34. & 35. *temperiem naturalem cùm receſſum à naturali ſtatu definire, & terminum curationis indicare, tùm remedii quãtitatem, ſeu menſuram determinare, dixerint.* Temperies naturalis quid ad medẽdum conferat?

Quæ etſi ita ſeſe habeant: illud tamen adhuc conſtat, ejus reſpectu, quod morboſum *eſt, quodq; tolli oportet, ut prior illa diſpoſitio redeat,* Contrarietatem in curatione reperiri.

Ac licet una eademq; actione & morbus abigi, & ſanitas reſtitui videatur: diverſorum tamen terminorum reſpectu actio iſta & per Similia, & per Con-

traria perficitur. *Quippe* Sanitatis *respectu per Similia*; Morbi *autem per Contraria.*

QUÆSTIO II.

De medicamentis Chymicis in genere.

Qui Chymicis remediis *juratâ quasi manu bellum indixerũt; illi, nescio, quas hinc inde conquisitas rationes in medium adferunt. Contra quos cùm dudum feliciter depugnârint Medici præstantissimi: nostrum hoc loco non erit, sopitam hactenus pugnam revocare.*

Erastus laudat Chymiã. *Æquiùs sensit de Chymicis medicamentis* Erastus, Paracelsi & Paracelsista-rum hostis aliàs acerrimus. *Ob hæc e-nim Paracelsum cùm alibi, tùm inprim[is]* Disp. Antiparacels. parte 1. in præfat[ione] ad Lectorem, & parte 2. pag. 3. *egregi[è] commendavit. Quin hoc affirmare non d[u-]trectavit; quòd Paracelsus, si hoc unum [e-]gisset, ut* Chymiam *luci restitueret, im-mortalem apud omnes bonos nominis gl[o-]riam sibi comparaturus fuisset.*

Horatius Augenius. *Non minùs honestè de Paracelso & r[e-]mediis Chymicis scripsit Italorum illud l[u-]*

m

men Horat. Augenius Tomo 3. Epist. Med. l. 2. c. 3. *dum Chymica remedia, cùm sint instar* Quintarum essentiarum, *ad pessimorum morborum (qui aliis remediis cedere nolint) curationē rectè usurpari ait.*

Idem fecerunt è Dogmaticis Gesnerus, Andernacus, Zvingerus *uterq;*, Pater & Filius, *& prater hos Medici alii innumeri excellentissimi.*

Ipse verò Libavius in Epistola super Alchemiam nuncupatoria *in hæc verba scribere non dubitavit: illum* Medicū non posse esse Magnum, cui Alchymia non sit magna. *Imò manca, mutila ac planè infirma, obscuraq; & sterili illum se iactare maiestate, qui Alchymiam excludit. Quid? quòd tàm necessaria sit* Chymia, *ut sine hac Medicinæ essentia constare nequeat, nec perfectionem suam habere.* In Triumpho Alchymiæ c. 36. p. 432. — Libavius. NB.

At ne solis auctoritatibus pugnare videamur: rationes etiam producemus.

I. Medicamenta Chymica palato grata sunt. *I. propter saporis & odoris vel omnimodam absentiam; vel minorem injucunditatem; vel eiusdem non levem* — Chymica grata.

suavitatem. II. propter minorem doseos quantitatem. *Etenim quod aliàs unciis aliquot concludebatur; id Chymicè præparatum granis aut scrupulis saltem aliquot postea coërcetur.*

Efficacia. *II.* Citiùs operantur. *Quippe à sordibus terrestribus virtus medicamentosa liberata est foris ab artifice, ut proinde à ventriculi calore ab iisdem ipsam demum expediri non sit opus. Et nescio, quid non aliquando* corporea moles *remora medicamentis injiciat, quò minùs rectè operentur; & quomodò* contrariæ, *quibus sæpenumerò pollent*, facultates *ipsorum actiones interturbent.*

Hinc etiam Dogmatici suas decoctiones & infusiones (*quæ Spagiricorũ* Extractiones *æmulantur*) *invenerunt.*

Benigna & tuta. *III.* Benigna *quoq; maximam part*[em] *sunt*, ac tuta. *I. propter* diligentem præparationẽ. *II.* noxiorũ *à noxiis*, utili[um] *ab inutilibus*, similium *à contrariis* separationem.

Maximam partem *dixi* tuta *esse. Sunt enim nonnulla; quæ ob nimiam agen*[di] *di potentiam cautiùs usurpanda: non sect*[ius]

at

atq; inter ea etiam, quæ à Dogmaticis *hactenus in uſum quandoq; trahi conſueverunt, nonnulla reperiuntur, quæ ob nimiam violentiam prudenti Medico non immeritò ſuſpecta eſſe debent. Talia autem è poſterioribus ſunt*, Tithymalorum omne genus, helleborus albus, &c.

IV. Perennia ſunt. Perennia.

Etſi verò communia & vulgaria admiſtione ſacchari, mellis *& huius generis rerum ſimilium, Medici primùm, mox Pharmacopæi*, à præpropera corruptione præſervare *didicerint: tamẽ cum emolumento præſervatio iſta ſemper coniuncta non eſt. Nam I.* medicamentorũ virtus *ab ipſorum copia non rarò* obruitur; *cùm ſæpè magis ſaccharum, aut mel, quàm medicamentum ſapiant. II. non probè deſpumata & purificata* corpus impuritatibus onerant. *III. multis* ob *nimiam* dulcedinẽ adverſa *ſunt, & nauſeam movent. IV.* in multis affectibus tutò uſurpari non poſſunt: *ut patet in febribus bilioſis, quibus ea, quæ melle condita, ſunt infenſiſſima.* Mellis & ſacchari medicamentis admiſtorum incõmoda.

V. Itineribus accommodatiſſima Itineri apta.

 ſunt.

sunt. *Cùm enim Medicus non domi semper subsistat, sed etiam peregrè nõ rarò proficiscatur:* Chymica *profectò* medicamenta *minimâ cum molestiâ secum transportare potest.*

Sed notandum.

I. Non damnari hic à nobis vulgaria remedia. Putamus enim, Medicum in utrumq; debere paratum esse: ut *pro loco, tempore & personis*, nunc Vulgaribus, nunc Chymicis utatur.

NB.

II. Errare illos; qui semper & ubique Extractis *potiùs, quàm* Integris *uti malunt. Sæpe enim integræ rei virtus necessaria est.* Steeghius l. 1. Med. Pract. c. 15. *Aliquando etiam crassiores & materiales partes usui sunt.* Ibidem.

III. Errare & illos; qui nunquam Extractis, *sed semper* Integris *utuntur. Aliquando enim diversæ & contrariæ in una eademq; re facultates continentur.*

IV. In extrahendis rerum essentiis diligentem operam impendendam esse, ut genuina ac competẽtia menstrua accipiantur. *In his enim quantum momenti positum sit, si quid aliud*, Extra-

Cta

cta *certè* per vini spiritum è purganti- bus parata *id docent: utpote cum quo de- stillatione iterum separato pars nonnulla subtilior avolat; pars figitur, atq; facultate purgante privatur. Hinc talia extracta* imbecilliorum virium in purgando esse solent. Extracta cum vini spiritu parata minùs efficacia.

QUÆSTIO III.

De medicamentis Mineralibus.

Etsi triplex sit corporum naturalium familia, Mineralis *videlicet,* Vegetabilis, *&* Animalis; *è qua non* Dogmatici *solùm, sed &* Spagirici *remediorum materiam desumunt: pleriq; tamen, qui remedia* Chymica *admittunt, ex omni rerum familia petita non approbant, & intra corpus exhibenda esse censent; inprimis verò ea, quæ* è Mineralibus *conficiuntur.*

Horum *tamen ipsorum* usum penitùs non esse rejiciendum, *confirmat*

I.

Veterum Medicorum auctoritas. *Nam.* 1. Dioscorides l. 5. c. 47. *Æs ustum cum hydromelite potum, aut cum melle delinctum ad vomitus movendos;* Galenus l. 2. de Medic. facilè parabilibus c. 36. Æs ustum.

cum vino & fimo columbino ad hydropem commendat: Celſus lib.2.c.12. *Æris ſquamas inter remedia alvum deiicientia recenſet.*

Aqua chalybeata.

2. Vinum aquamve, in qua candens ferrum ſit reſtinctum *potu Cœliacis, Dyſentericis, Lienoſis, Cholerâ laborantibus, & Stomacho diſſolutis auxiliari,* Dioſcorides l.5.c.53. & Galen. l.1. de remed. facilè parabil. c.17. *prodidit. Idē hodiè etiam ad eoſdem affectus non infeliciter adhibemus.*

Sandaracha.

3. Sandarachā *ex mulſo purulēta tuſſientibus dari; adverſus veterem tuſſim ſuffiri cum reſina, rapto per fiſtulam nidore: cum melle delinctam vocem expedire: ſuſpirioſis cum reſina in catapotiis convenire,* Dioſcorides ibidem c.81. *annotavit.*

Duplex.

Vbi notandum; Sandaracham *ipſum intelligere* Græcorum, *non* Arabum. *Horum enim, nō ad Mineralem, ut illorū, ſed Vegetabilem corporum familiam pertinet; atq; idem eſt, quod* gummi Juniperinum, *monentibus* Matthiolo in com. ſup. Dioſcorid. l. c. Medicis Florenti-

nis

nis l.1. Antidotarii, pag. 23. b. Jacobo Sylvio l.1. de simpl. Med. nat. p. 49. & Monachis in Censura super Antidotar. Mesuei dist. 8. sub t. de Arsenico, mihi p. 440.

De Græcorum Sandaracha agit Serapio de simplicibus c. 381. *sub nomine Auripigmenti rubei.*

4. *Præter Sandaracham* Isidorus, Athenæus, Idius, Eubulus, Heras, Gemellus, Agathius, Nicostratus, Menander, Thamyras, Deletius Epagathus, Asclepiades, *& alii; Alumen scissum, Auripigmentum, Æris squamam, Æs ustum, Calcem vivam, Sulphur vivum, Feces vini ustas, Cadmiam, Cerussam, Gypsum, Stibium sive Antimonium, in pastillos redacta* Dysentericis *præscripserunt: quorum præparandi rationem & utendi modum vide* apud Gal. l. 9. de compos. med. sec. loc. c. 5. Alia mineralia.

5. *Antidoto* 387. sanguinem spuentibus *accommodatæ* cerussam; *&* 470. *epilepticis, apoplecticis, insanientibus & quartanariis utili,* Antimonium; *aliis verò alia metallica admiscuit* Nicolaus Myrepsus.

Sed

6. Confectionibus *plurimis* aromaticis, *ab antiquis Medicis inuentis, & ab hodiernis etiamnum non ſolùm retentis, verùm etiam ob ſingularem vim, quâ pollere creduntur, cor roborandi unicè commendatis, admiſcentur* folia auri & argenti, pollen gemmarum, margaritarum, &c.

Sed deſino; nec plura exempla, ex auctoribus hinc inde conquiſita, hûc tranſcribo. Ea enim, quæ modò allata ſunt, inſtituto probando ſatis eſſe poſſunt.

Cùm autem priſci illi Medici metallicis prædictis *intra corpus*, dum adhuc cruda exſtiterunt, uſi *ſint: ſi probè & convenienter per* Chymiam *præparentur; quidni & hodiè à Medicis uſurpari poſſint?*

Precioſa an medicamentis miſcenda? *Neq; verò ignoro, præſtantiſſimos quoſdam fuiſſe Medicos, inter quos non poſtremus* Eraſtus, *& ex hodiernis*, Platerus: *qui non tam veterum, quàm recentiorum Medicorum conſuetudinem damnârunt, quòd* aurum, argentum, gemmas, corallia, margaritas, &c. *medicamentis ſuis admiſcuerunt.*

At ignoſcant mihi manes Eraſti; *ignoſcat* excellentiſſimus Platerus: *ſi ab ipſis diſſentio. Etſi enim facilè cōcedam, prædicta omnia, prout* in officinis communiter præparata *proſtant, parum vel etiã nihil virium poſſidere; cùm humani ventriculi calor infirmior ſit, quàm ut adamãtinas propè illorum compages diſſolvere, & latentem ipſorum vim prolicere, atq; in actum deducere poſſit: aliter tamen res habet, ubi per* Artem Chymicam *dextrè præparata fuerunt; atteſtante ipſa rerum experientia.*

II.

Mineralia in uſum medicum eſſe trahenda, *perſuadent aquæ & fontes medicati;* thermæ *videlicet* & acidulæ. *Quanto enim cũ ſucceſſu ad iſtas ægri multi, pro deploratis habiti, à Medicis paſſim ſingulis annis, ceu ad ſacram quandam anchoram ablegentur: pro me res ipſa loquitur.* Aquæ medicatæ.

Atqui hæ omnes vim ſuam & ſanandi potentiam à ſpiritibus, vel ſubſtantiis mineralium, puta ſalibus Nitroſis, Aluminoſis, Gemmeis, Vitriolatis, ſubſtantiis

ſtantiis Sulphureis, Bituminoſis, Antimonialibus, Mercurialibus, Plumbeis, Ferreis, Cupreis, &c. *ſortiuntur. De qua re videantur* Gabriel Fallopius, Andreas Baccius, Jacobus Theodorus Tabernæmontanus, Johannes Bauhinus, *& alii, qui aquarum medicatarum vires deſcripſerunt.*

III.

Nec nulla remedia mineralia Chymico modo elaborata *à peritiſſimis Medicis Dogmaticis fuêre uſurpata. Etenim*

Olei Vitrioli virtutes.

I. Olei Vitrioli. 1. *non ſolùm varias præparationes* Geſnerus libro utroque Evonymi *propoſuit: ſed & cùm his in locis, tum* l. 2. & 3. Epiſt. Medic. *paſſim, ut &* Valerius Cordus peculiari tractatu Diſpenſatorio ſuo annexo: *Itẽ* Matthiolus in com. ſup. Dioſcorid. l. 5. c. 74. *ad varios affectus commendavit.*

2. Hieronymus Donzellinus Cõſilio inter Cratoniana 38. prope finẽ *uſum eius per aliquot dies continuatum ab Epilepſia liberare: &* Conſil. 229. *bis in ſeptimana uſurpatum à Podagra præſervare ſcripſit.*

3. Crato ibidem Conſilio 27. *ad obſtructiones expediendas, pituitoſos humores abſumendos, putredines in genere & ubique inhibendas, in ſpecie autem cùm in oſſibus,* Conſil. 72. & 75. *tùm gingivis, exſiſtentes* Conſilio 234. *utiliſſimum eſſe dixit.*

4. Bened. Victorius Faventinus l.1. Empiricæ c.27. *cum vino Malvatico exhibitum, ſi febris abſit, in Colica mirabilia præſtare tradidit.*

5. Thomas Jordanus de Peſtis Phœnom. tr.3. cap.9. p.612. *inter Peſtis antidotos recenſuit.* Horat. Augenius de Peſte l.3. c.17. in fine, *ad Febrem peſtilẽtem ſanandam talem eſſe medicinam affirmavit; quæ parem non habeat. Quod etiã* Heurnius l.1. Prax. general. pag. 94. *confitetur.*

6. *Ad tollendum Polypum cum ſucco malorum punicorum conducere* Augenius Tomo 2. Epiſt. l.9. Epiſt. 5. *annotavit.*

7. Alexius Pedemontanus l.1. Secretorũ p. 63. *ad Anginam in gargariſmis conferre docuit.*

8. Capivaccius l.1. Pract. cap. 40.

lacte

lacte correctum ad Vnguem oculi exstirpandum; ibidem c. 44. *aq. rosacea temperatum Encanthida tollere;* ibidem l. 2. c. 6. *aqua plantaginis dilutum Sputo sanguinis mederi;* ibidem c. 7. *aq. rosaceæ, vel succo plantaginis, quibus momentum sacchari additum sit, permistum Phthisicis convenire monuit.*

Et quis omnium Medicorum Dogmaticorum, *eorumque non vulgarium, sed præstantissimorum saltem,* elogia *enumeret? quæ* oleo Vitrioli *tribuunt.*

Usus legitimus.

Quare illos non parum miror: qui ceu noxium medicamentum diffamare solent. Meminisse potiùs debebant isti. 1. Non per se *& solitarium, sed aliis rebus permistum exhiberi. II. Non magnam ipsius copiam, sed* aliquot saltem guttulas *propinari. III.* Non indiscretè omnibus corporibus; *sed inprimis obesioribus, macilentis autem vel omninò non, vel parciùs, concedi.*

Oleum Sulphuris.

II. Oleum Sulphuris. 1. acidum, *aliis remediis competentibus admistum, ad ulcera pulmonum sananda plurimùm conferre, probat suâ experientiâ* Horatius

Auge-

Augenius l.c.è lib.de Peſte.

2. Sulphur ſublimando purgatiſſimum & clementiſſimum effici, *eiusque uſum quorundam imperitorum exemplo non reformidandum eſſe, monet* Jacobus Sylvius l.1. de ſimpl. med nat.p. 51. *Hinc in omnibus ferè Dogmaticorum Pharmacopoliis* Flores Sulphuris *hodiè inveniuntur.* Flores Sulphuris.

3. Donzellinus Epiſtola inter Cratonianas, per Laurent. Scholtzium editas, 98. *Sulphur cum oleo Tartari, per deliquium facto, præparatum cùm ad multa alia, tùm Hydropem utiliſſimum eſſe ait.*

III. Oleum è Sale communi *ignis violentia extortum magnificat* Thomas Jordanus loco, quo ſupra, pag.611. *Et certè ad expediendas viſcerum obſtructiones non levem ipſi vim ineſſe, experietur is; qui periculum fecerit.* Oleum Salis.

IV. Medicamentis, 1. è Chalybe *paratis ad viſcerum infarctus liberandos ecquid apud* Dogmaticos *celebratius? Vide* Matthiolum in com.ſup.l.5. Dioſcoridis c.54. Capivaccium l 3. Practic. c.26. Augenium Tomo 1. Epiſt.l.7. Chalybs.

Epist.7.Mercatum l. 2. de recto præsidior.usu c.7.de morb. mulier. l. 2.c. 18. Vidiũ de Curatione membratim l. 10. c. 4. Reinerum Solenandrum, Consil.ſ.1.Consil.12.& ibid.ſ.3.Consil.13. Hieronymum Reusnerum de ScorbutoExer.7.p.489.&seqq.*nec nõ è Practicis alios.*

Crocus Martis.

2. Martis croco *in sistendo profluvio menstruo, hæmorrhoidum, dysenteria, &c. ecquid solemnius? Vide* Cratonem Consilio 206. Guiliel. Fabricium de Dysenteria c.10.*& præter hos alios.*

Nitrum præparatum.

V. Nitrum sulphure depuratum *ac præparatum, ægris æstu febrili propemodum exectis, quoties voluerint, aut occasio vel invitis cum conserva rosarum offerendi sese obtulerit, commodissimè præberi,* Jordanus ibid.c.7.pag.531.*scribit. Nec malè. Subscribit enim ipsi* optima rerum magistra Experientia.

Vitrum Antimonii.

VI. Vitri antimonii *successum* l. 2. Evonymi *aliquot historiis docet* Gesnerus; *aliis* Matthiolus ibid.c.59.*cùm tamen è* Chymicis *non pauci, ut sunt* Severinus, Quercetanus, &c. *idipsum minimè*

nimè probent; sed ab eo abstinendum esse moneant.

VII. Turpethum 1. minerale *in exstirpanda lue Gallicâ feliciter se vidisse usurpari, confitetur* Petrus Monavius in Epistola inter Cratonianas 212. Turpethũ minerale.

2. *Eundem Mercurium præcipitatum* Nicolaus Massa l. de morbo Gallico tr. 6. c. 2. & 5. *pulverem angelicum appellavit propter mirabilem virtutem in curandis ulceribus Gallicis.* Johan. à Vigo Chirurgiæ suæ parte 2 l. 5. mihi pag. 924. *pulverem istum coronâ dignum censuit, & pulverem suum carnis superfluæ remotivum inscripsit. Eundem* Guilielm. Fabricius *inter sua quoq; secretiora habet: cuius virtutem in mundificandis & persanandis ulceribus sordidis ipse non semel expertus sum.*

3. Mercurio sublimato dulci *hodiè plurimi ad purgandum frequentissimè utuntur.* Mercurius dulcis.

Sed cesso; nec plurium mineralium *usum à* Dogmaticis *hactenus receptum, & passim ab iisdem commendatum, vitandæ prolixitatis gratia, hoc loco recenseo.*

IV.

Chymica quando præcipuè uſurpãda?

Sæpè tanta eſt morborum pertinacia, *ut, quia aliorum remediorum conatus omnes eludunt, tandem ad Mineralia Medicus devenire cogatur ; memor illius* aphoriſmi Hippocratici, *qui eſt in* ſectione prima tertius; *quòd morbis extremis, extrema ſint quærenda remedia:* duroque nodo durus quærendus cuneus, *ſecundùm commune adagium.*

Hanc ob cauſſam gravioribus tantummodò periculis talia reſervari dixit Zvingerus l. 1. Phyſiolog. Med. c. 8. p. 96. *In Chronicis autem quibuſdam morbis ſolùm adhibenda ſtatuit* Crato, *& cum hoc* Donzellinus Epiſtola 98. inter Cratonianas per Scholtzium editas.

V.

Vegetabilia violenta.

Si Tithymalorũ omne genus, Pityuſam, Elaterium, Colocynthidem, Turpethum, Thapſiam, Bryoniam, Scammonium, Thymelæam, Chamelæam, Cyclaminum, Armenium & Cæruleum lapidem, Euphorbium, Elleborum album, &c. *ob violentiam & virulentiam* Dogmatici *non reformidave*

daverunt, & ab ipsorum usu abstinuerunt: cur metallicorum nonnullorum violentia ipsa reddat vel suspecta, vel penitùs formidabilia?

Ergo etsi Mineralia & Metallica è foro Medico-practico *non sint rejicienda; præter hactenus recensitos* Dogmaticos *(in præsentia enim* Hermeticorum *testimonio uti non libet) fatente* Abrahamo Scilero Epistola inter Cratonianas 7. Michaële Barth ibidem Epist. 80. *aliisq; Medicis celebribus: hæc tamen probè observanda.*

I. Cautè esse usurpanda. *Hoc autem fiet, si consilium sequemur* Petri Monavii ibid. Epist. 218. *operamq; dabimus, ut ea I. rectè præparentur. II. rectè præparata aliis additis corrigantur. III. correcta debitâ quantitate seu dosi exhibeantur.* Cautelæ circa usum metallicorũ.

II. Non semper & ubiq;, *hoc est,* non in omnibus morbis, *sive contumaces illi sint, sive leviculi;* nec in omnibus personis, *puta infantibus, mulieribus, & aliis imbecillioribus, citra discrimen esse adhibenda. His enim alia benigniora & levioris armaturæ sufficere possunt.*

Ac licet Abrahamus Seilerus, *Medicus olim exercitatissimus*, Stibium, *seu Antimonium*, etiam recens natis infantibus *felici cum successu se exhibuisse* l. c. *scribat: eius tamen exemplum imperitiorem aliquem audaciùs imitari nolim. Facilè enim est, ut in circumstantiis aberret: ipsiq́; proinde*

Accidat in puncto, quod non sperâsset in anno.

Eâdem prudentiâ in exhibendo Metallorum croco, Auro vitæ, Mercurio vitæ, Arsenico dulci, &c. *Medicum uti decet. Vt enim* nihil in Curatione negligere: *ita etiam* nihil temerè moliri *oportet iuxta* præceptum Hippocraticum l. 6. Epid. com. 2. t. 25.

Quæstio V.
De Remedio Universali.

Vt remediorum, *pro morbo unoquoq; depellendo convenientium*, Inventio; eorundemq́;, *pro Personarum, Temporis, & aliarum conditionum varietate*, dexter Usus, maximam parit in medendo difficultatem: *ita* Remedium Universale, *quod omnibus morbis abigendis idoneum esse dicitur*, maximam adferet curan-

Remediũ Universale facilem reddit Medicinam.

curandi facilitatem. *Quippe perfectus iam erit Medicus is, qui tale remedium poſſidet*; Eraſtus Diſput. Antiparacelſ. parte 3. pag. 9. *quantumvis nec* Morbũ *noſcat, nec* Cauſſas *ipſius intelligat, nec* Judicio Uſuve *polleat, neque illa omnia diligentiùs ſciat, quorum cognitionem Medico ſummè eſſe neceſſariam*, infra lib. 2. part. 3. *dicetur. Sufficiet enim, ut videat, hominem aliquem ægrotare: etiamſi, quo morbi genere ægrotet, non animadvertat.*

Sanè non ignoro, plurimos è veteribus remedii *iſtius* univerſalis *poſſeſſionem ſibi vendicâſſe: at qui idipſum cum poſteris liberaliter & ingenuè communicaverit; necdum ſcio ullum. Quam ob cauſſam illi omnes* impii *videntur fuiſſe* in Deum, *cuius gratiâ & benedictione illud invenerunt:* ingrati in Naturam, *quæ ipſius materiam ſuppeditavit*: injurii in Humanum genus, *quod tanto theſauro defraudârunt.*

Solus Joh. Wolfgangus Dienheimius *de humano genere præ aliis benè mereri voluit, dum nuper ſcripto in publicũ edito viam aditumq; aperire conatus eſt, per*

 quem

quem ad remedium istiusmodi penetrare possemus. Quâ quidem in re candor *ipsius commendandus: quod quæ investigavit ipse, alios latere noluit, tritum illud cogitãs;*

Scire tuum nihil est: nisi, te scire hoc, sciat alter.

De cuius scripto, ut iudicium nostrum hoc in loco feramus, instituti nostri ratio non patitur. Facient enim proculdubio hoc ipsum alii.

Quæstio. *De illo in præsentia potiùs disquirere placet;* an possibile sit, dari quoddam remedium, quod omnibus morbis expugnandis æquè conducat?

In cuius Quæstionis explicatione ita versabimur: ut non tàm cum quoquam cõtendere, aut ulli contradicere; quàm dubia nostra, quæ nobis circa Remedium Universale *oborta sunt, proponere velimus. Hanc enim veritatis inveniendæ rationem unicam esse dixit* Aristoteles libr. 3. Metaphysic. cap. 1. *si à dubitationibus incipiamus.*

Dubitandi *autem* rationes, *quas habemus, hæ sunt.*

RATIO PRIMA.

Non datur morbus aliquis universalis.

salis. *Ergo nec* remedium universale.

Morbum universalem *dum nominamus; non talem intelligimus, qui, cum plures in eodem loco, vel regione existentes corripiat, à* Galeno in Prooem. sup. l. 1. Epid. comm. 1. & lib. 1. de vict. rat. in morb. acut. comm. 9. *in Epidemium & Endemium distinguitur.*

Morbus universalis quid Medicis sit?

Etsi enim morbus hujusmodi, ut cõmunis *est; ita etiam* communem quãdam curandi rationem, *pro Individuorum tamen discrepantiâ nonnihil variantem,* requirat: *tamen cùm is eiusdem generis semper non sit; patet, nec unico remedio ipsi succurrendum esse.*

Quis enim Elephantiasin, *quæ Ægyptiis; quis* Phthisin, *quæ Lusitanis; quis* Hydrocelen, *quæ Gallis Narbonensibus; quis* Pleuritidem, *quæ Tridentinis; quis* Podagram, *quæ Atticis & Mediolanensibus; quis* Epilepsiam, *quæ Florentinis; quis* Strumas, *quæ Styriæ & Hispaniæ quorundam locorum incolis Endemiæ esse perhibentur, (ne dicam de aliis pluribus) uno eodemq; remedii genere curari posse dicat? Res certè laboris fuit plenissima, ut singulo*

Morbi Endemii.

gulo ex his proprium & conveniens remedium à Medicis inveniretur.

Deinde si morbos Epidemios, *& ex his* malignos *præcipuè*, *consideremus: quàm, quæso, isti diversa remedia requirūt? Hinc enim experimur*; medicamenta, quæ in alia Peste fuêre utilissima, in hac esse inefficacia: *& plures homines priùs ex eius violentia interire, quàm specificum alexipharmacum ipsi reperiatur. De qua re qui dubitat: næ ille in Auctorum lectione, qui de ea prolixos Commentarios edidêre, se parum versatum esse liquidò demonstrat.*

Idem remedium in omni Peste non est æquè efficax.

Vnde non immeritò præter alios conqueritur Crato in Assertione Tractatus sui de Pestis Pręcautione & Curatione; *quòd verum remedium hactenus nondum inventum sit, quod omnis Pestis violentiæ æqualiter resistere valeat.*

Morbus universalis quid hîc significet?

Sed talem morbum universalem *intelligimus; qui omnibus morborum speciebus insit: non quidem tali ratione, quali* Febres *aliis morbis complicari facilè solent*, *ac proinde* ab Auctore libr. de flatibus morborum omnium communissimę

nomi-

nominantur; *cùm possint esse morbi, qui febre omni carent: verùm tali, qua omnes in universum morbi necessariò de ipso participent, ab ipsoq́ꝫ spiritum quasi atqꝫ animã ducant; ut idcirco, illo expugnato, & reliqui corruant.*

At quis iste morbus sit? Equidem, quis ipse præter Conceptum illum universalem, quo morbus dicitur *esse* dispositio quędam p.n. à qua partium corporis viventium actiones primò læduntur, *esse possit; non videmus.* Morbus quid?

Atqui ut Conceptus iste extra mentem nostram, prout Universalis est, non exsistit; cùm omne, quod est, singulare *sit, secũdùm axioma philosophicum: ita etiam Remedium, quod Conceptui huic Universali opponitur, extra mentem non exsistet.*

RATIO SECUNDA.

Si Homo *est* Microcosmus; *Ergo prout* in Majore Mundo non datur unum aliquod, quod omnib. ex æquo adversatur, *atqꝫ in omnia citra discrimen agit, eaqꝫ evertit; ita etiam non dabitur Remedium aliquod, quod omnibus in universum morbis ex homine fugandis inserviat.*

Sed

Sed verum suo sensu est illud, quemadmodum l. 2. parte 1. *dicetur. Ergo, &c.*

Unum omnibus contrariũ non est.

In Majore *autem* Mundo *non dari unum aliquod, quod omnibus adversetur, eaq; indiscriminatim corrumpat, sive id* manifestis, *sive* occultis qualitatibus *operetur; ex eo constat, quòd unumquodq; in determinatum saltem agat & dispositũ; atque, ut* Albertus Magnus *rectè alicubi scripsit:* actio agentis recipiatur in materia secundùm potestatem materiæ, non verò secundùm potestatẽ efficientis.

Cumq; dictum sit; nec ex iis, quæ occultâ qualitate *operantur, dari ullum, quod omnia destruat: idcircò dicti istius veritas paucis adstruenda à nobis erit. De iis enim, quæ per* manifestas qualitates *agunt, res minùs dubia est.*

Peste non omnes semper inficiuntur.

I. Non solùm amplissimi Auctorum commentarii, *sed & ipsa communis* Experientia *testatur; oriri aliquando Pestes, quæ vel solos* Homines, *vel* Oves, *vel* Boves; *vel* Sues, *vel alia animalia corripiunt: imò à quibus in Humano genere interdum illi saltem, qui in* Pueritia *&* Juventu-

ventute; *interdum qui in* Senectute *cõ-stituti; interdum quoq;* Sexus alterutrius *corpora solùm exstinguuntur. Quid? quòd nõ raró usu venit, ut ii, qui cum aliis Peste infectis impunè conversati fuerunt, ubi ad aliquem è* consanguineis *veniunt, Peste quamprimùm inficiantur.*

II. A Coturnicibus Helleborum, Plin. l.10.c.23. *à Sturnis Cicutam*, Galen. l.3. de Temperam. cap. 4. & l. 3. de simpl. Med. fac. c.18. *à Cervis Serpentes*, Plin. l.8.c.32. & l.28.c.9. prope finem: *ab Anatibus Bufones, à Gallinis Araneos, &c. sine noxa vorari, communis item docet experientia.* Animalia quædam venenis vescuntur.

III. Neq; verò quæ hominibus damno esse solent, ab aliis saltem animalium quibusdam speciebus; sed & certis quibusdam hominum individuis, commodè edi solent. Etenim 1. Mithridates Rex *antidotorũ usu ita suum corpus obfirmavit, ut nullum venenum ipsi nocere posset.* Celsus l.5. c.23. Plin. l.25. c.2. Gal. l.1. de Antidot. c.1. & l. de Theriac. ad Pisonem c.16. Quidam homines venena comederunt.

2. *Hodiè nonnulli parem securitatem usu* Bezoardici Animalis, *quod è Ser-* Bezoardicum animale.

pen-

pentibus, seu Colubris vulgaribus, vel Viperis paratur, promittunt; verùm ad certum tempus.

3. Cambaiæ *quidam* Rex *à teneris quodvis venenum citra periculũ comedit.* Scalig. exerc. 175. f. 1. Ludovicus Barthema *Italus*, & Odoardus Barbessa *nobilis Lusitanus, apud* Johan. Francisc. Ulmum de occultis in re medic. proprietatibus l. 3. c. 5.

Cicuta. 4. Anui *illi* Atheniensi, *cuius meminit* Galenus l. 3. de simpl. med. fac. c. 18. *cicutæ esus innoxius evasit.*

Opium. 5. Opii *per universam Mauritaniam & Asiam plurimum esse usum à granis* 20. *ad* 50. Garcias ab Orta Aromat. Indic. hist. l. 1. c. 4. *auctor est. Turcos quoque & Persas eodem frequentissimè, etiam ad drachmæ unius pondus, vesci*, Carolus Clusius ibid. in Scholiis è Bellonii l.

NB. 3. c. 15. *annotavit. Fidem ferè omnem superat, quod de quodam scribit* Garcias ab Orta, loco, quo suprà: *quòd is singulis diebus tres* opii *tabellas comederit, quæ pẽderent* decem drachmas & amplius: *ac licet stupidus & dormitabundus semper videre-*

videretur; aptiſſimè tamen & doctè de omnibus diſputaverit.

6. Thraſiam *herbarium & paſtores nonnullos Helleboro innoxiè uſos fuiſſe, atque vel* integros manipulos *interdum eſitâſſe,* è Theophr. lib. 9. de hiſt. plant. c. 18. *tradit.* Joh. Franciſc. Ulmus ibidem. Helleborus.

At quis omnibus hominibus ſimilem impunitatem polliceri auſit?

RATIONES CONTRARIÆ.

Excipiunt. I. Ignis *omnia corrumpit. II.* Arſenicum, Auripigmentum, Sanies viperina, &c. *cuiuſcunq; temperiei hominibus nocet. III.* Hepar Lupi, *quibuſcunq; hepatis affectionibus medetur;* Oſſiculũ è corde Cervino *omnibus cordis infirmitatibus reſiſtit, &c. Ergo dabitur Remedium aliquod, quod prædictorum inſtar totum corpus humanum à noxiis & vitioſis rebus expurgare poſſit.* NB.

℞. Ad Primam.

Ignis, *ſive is* Actualis *ſit, ſive* Potentialis, *omnia indiſtinctè non corrumpit.* Ignis Elementaris nõ omnia corrũpit.

Nam quod primò Ignem Actualem *attinet: nonne ab eius vi inexpugnabilis eſt*

est ex Elementis Terra; *è Metallis* Aurũ *&* Argentum?

Numquid fabulosum est, quod de Oleo incombustibili *circumfertur? Ita enim* Guido Pancirollus lib. de rebus olim deperditis sub tit. de Oleo incombustibili. *Nostra, inquit, ætate, sedente* Paulo III. *inventa fuit* sepultura Tulliæ filiæ Ciceronis: *in qua lucerna fuit etiam tum ardens, sed admisso aere exstincta. Arserat autem annos plus minus* 1550.

Oleum incombustibile.

Numquid etiam fabulosum, quod de Lino Asbestino *scribit* Plinius l.19.c.1. *id ignibus non absumi, sed sordibus igni exustis multò splendidius, quàm aquis effici?*

Asbestinum.

Deinde annon pro dissolvendo hoc vel illo metallo peculiares aquas, *ut vocãt*, fortes *præparare oportet? Vtiq;.* Neq; *enim* illa, quæ solvit Argentum, solvit & Aurum, &c. *ut liquet ex illo Auri examine, quod per* Quartationem *instituitur.*

Diversa metalla diversis aquis fortibus solvuntur.

II. *Si daretur tale aliquod* remediũ, *quod* ignis instar *omnia corrumperet: vix videretur fieri posse, quin id ipsum non ea solùm, quæ* præter; *verùm etiam, quæ* secundùm naturam *in corpore continentur, oppugnaret & labefactaret.*

Quòd si eorum, quæ secundùm naturam *sunt, vel* ineptitudinem *à medicamento* patiendi; *vel* validam virtutem *actioni ipsius* resistendi, *quis prætendat: non video, quò minùs idem in iis etiam, quæ* præter naturam *sunt, locum habere possit: præsertim, cùm* unumquodq; nō patiatur à quolibet: *ut in Ratione nostra anteà propositâ monstratum fuit.*

Quod porrò vel hinc etiam patet. Cùm enim aliæ plantæ hyemis inclementiam sustinere nequeant: tamen aconitum hyemale, *&* helleborus niger *inter nives, & gelu medium, virere ac florere solent.* Plantæ hyemales.

III. *Vt nec* ignis *ipse omnia corrumpit: ita nec* ignea *ista* medicina *omnes morbos profligabit.*

Ad secundam.

I. *Concedimus;* Arsenicum, & alia Venena deleteria *propter occultam quãdam vim, quâ* Cor *(Caloris & spirituum arcem)* primò oppugnare *solent, cuiuscunq; temperiei hominibus nocere posse.*

II. *Negamus;* omnibus ex æquo nocere. *Hinc enim videmus, illos, qui* idē venenum *potavêre, non tantùm citiùs,* Idem venenum diversos homines diversimodè afficit.

vel serius ab ipso lædi; verùm etiam diversis symptomatibus affligi. Videmus etiam; hos ope Alexipharmacorum *servari; illos non. Imò videmus;* quosdam ipsius naturæ robore Toxicum vincere ac superare.

III. *Etsi à veneno homo occidi possit: sunt tamen aliæ adhuc multæ caussæ, à quibus non minùs necari potest; ut* res non-naturales, morborumq; differentias *excutienti manifestum evadet. Quare nec solo aliquo* Alexipharmaco *omnib. morbis medebimur.*

Pestis unico remedio non sanatur.

IV. *In* Peste, *aliisq;* morbis malignis, *non contra malignitatem tantummodò Alexipharmacis: sed & contra alia aliis remediis pugnare cogimur.* E.g. *in* Peste, *quæ cum* Bubone *est &* Carbunculo, *non sufficit, ut* Alexipharmacis *venenum pestilens à corde quàm longissimè extra corpus propellamus: nisi deinceps pro ipsis* Bubonibus *&* Carbunculis *sanãdis competentia remedia etiam usurpemus. Simile esto iudicium de aliis.*

Ad Tertiam.

Specificorum usus.

I. *Concedimus;* specifica quædam,

ad

ad partium quarundam morbos non solum à Medicis commendari, verùm etiam utilia esse reipsa deprehendi. *Illorum tamen hic usus esse solet. I. ut* reliqua *admista* ad locum affectum deducant. *II. ut specificâ virtute* balsamum partis nativum roborent, *ipsumq; contra morbos præsentes muniant.*

Unde sequitur:

1. Ista *omnibus partium affectibus, nõ unâ talia, sed* quâ aliis conjuncta resistere. *In quem enim finem reliqua adderentur? Si unicum illud morbo debellando satis esse posset.*

2. *Ipsa non tam* Indicanti, à Morbo, & morbi Caussa *desumpto, quàm* Vitali *respondere. Atqui non satis esse, ut ipsis Viribus, adeoq; Naturæ soli de similibus prospiciamus, nisi etiam alia impedimenta corpore removeamus*, in explicatione Quæstionis primæ hujus capitis mẽbro 3. art. 1. *dictum est.* Specifica Vires respiciunt.

II. *Argumentum* à specificis *deductum invertimus. Nam si dantur* Specifica: *non dabitur* remedium *aliquod* Universale. *Quæ enim aliâs illorum esset necessitas?*

Atq; hinc nobis novum nascitur argumentum: quod contra Remedium Universale crit

RATIO TERTIA.

Si uno aliquo remedio omnes morbi curarentur: frustra Deus Opt. Max. *tantam remediorum varietatem cōdidisset, atque non singulis solùm* Morbis *sua* Pharmaca, *sed etiam singulis* Venenis *propria sua & peculiaria* Alexipharmaca *Naturam promere voluisset. Sic enim* Hyoscyamo Allium, Cicutę Apii semē, Scorpionibus Polemonia *medetur.*

Morbus & Venena sua habēt contraria.

Mira sunt, dummodò vera sint, quæ Josephus l. 7. de Bello Judaico c. 25. *refert de* Baara, *planta à loco, in quo nata, cognomini sic appellata. Sic enim ille.*

Baara.

Baara *flammæ assimilis est colore, circa vesperam verò veluti jubare fulgurās. Accedentibus, eamq; evellere cupientibus, facilis nō est:* sed tam diu fugit, nec priùs manet, quàm si quis urinam muliebrem, vel menstruum sanguinem super eam fuderit. *Quin etiam tūc* si quis eam tetigerit, mors certa est: *nisi fortè illam ipsam radicem ferat de manu pendētem.*

Ca-

Capitur autem alio quoq; modo ſine periculo: qui talis eſt.

Totam eam circumfodiunt, ita, ut minimum ex radice terrâ ſit conditum. Deinde ab ea religant canem: *illoq; ſequi eum, à quo religatus eſt, cupiente, radix quidem facilè evellitur; canis verò continuò moritur: tanquam eius vice, à quo herba tollenda erat, traditus. Nullus enim poſtea accipientibus metus eſt.* Hæc citò, etiamſi ægrotantibus tantummodò admoveatur, dæmonia abigit. *Hæc Ioſephus.*

Atqui, Deum Opt. Max. *tantam remediorum varietatem fruſtra cõdidiſſe, ut cogitare eſt impium; ita effari blaſphemum. Quare* nullum *dabitur* remediũ univerſale.

RATIO QUARTA.

Cùm ii, qui Univerſale *iſtud* remedium *propugnãt, ſimilitudine, petita à* Lapide vel Tinctura Philoſophorũ, *quo reliqua imperfectiora metalla in purum putum Aurum tranſmutari dicuntur, uti ſoleant: lubet & inde cum* Zvingero Phyſiolog. Med. c. 8. p. 87. *talem rationem exſtruere.*

Eadem tinctura omnia metalla non transmutat.

Si eo modo Remedium Universale *agit in hominem, quo* Lapis Philosophorum *in metalla: Ergo ut hic* aliter præparatus requiritur ad Lunæ trāsmutationem, aliter ad metalla imperfecta, aliter ad Mercurii projectionem; *de qua re pleni sunt eorum, qui de Transmutatione Metallorum scripserunt, libri: ita etiam* Remedium *istud* Universale *in omnes morbos æqualiter non operabitur, ac proinde pro morborum diversitate, diversum etiam requiretur. Quod si eveniat; quomodò* Remedii Universalis *nomen merebitur?*

RATIO QUINTA.

NB. *Si* Acetum, succus Limonum, Berberorum, Malorum Citriorum, &c. margaritas solvunt & corallia; cœpe sinapi, &c. *foris apposita cutem exulcerāt* intra corpus autem assumta nullum nocumentum inferunt: *equidem non video, quomodò unum idemq; remedium morbos non solùm diversos, quorum non nulli è manifestis, alii ex occultis caussis oriuntur; sed etiam omninò sæpè contrarios curare possit.*

CONCLUSIO.

Nulla est curatio planè universalis.

Quare ut Galenus l. 3. meth. med. c. 7. *contra* Methodicos *rectè disputavit, quòd ægri uniuscuiusq; propria & individualis natura talem curationem non admittat, quæ per omnia cum alia, in alio corpore instituta, eadem sit: ut etiam* unus modulus ad omnium pedum calceos nō est aptus: *ut diversæ sunt & discrepātes in corpore particulæ: & deniq; ut triplicia sunt instrumenta Therapeutica,* Pharmaceutica *scilicet*, Diætetica *&* Chirurgica, *quibus ad morborum curationem uti solemus: ita non immeritò dubium nobis esse videtur illud dogma, quod de* Universali remedio *circumfertur.*

Vide, quæ suprà Parte hac secundâ, sect. 2. class. 2. c. 2. & sect. 4. class. 2. c. 2. *dicta sunt. Nam & illa huic rei lucis aliquid adferre poterunt.*

QUÆSTIO V.

De Paracelsi quatuor Curationum modis.

Quatuor Curationum modos, *quorum primus per* Naturam; *secundus per* Dei virtutem; *tertius per* Fidem;

quartus per Dæmones *fiat: Paracelsum statuisse* suprà class. 2. c. 4. *diximus.*

Curatio per Naturam.

Et quidem, quod ad illum, qui per Naturam *fit; attinet; is ut legitimus est: ita à nobis non solùm admittitur, sed etiam commendatur.*

Quia verò ipsum triplici corporum naturalium familiâ, Minerali *videlicet,* Vegetabili & Animali *Chymico artificio elaborata, perfici scripsit: idcircò tùm de* medicamentis Chymicis in genere, *tum de* Mineralibus in specie *hactenus disseruimus, eademq; in usum Medicum esse vocanda ostendimus.*

Cumq; Paracelsus *illud etiam peculiare dogma proposuerit, quòd* Remedium *quoddam* Universale *habeatur, quod* omnibus morbis abigendis inservire *possit: in huius quoq; dogmatis veritatem inquirere, & ob quas rationes idipsum nobis dubiū esse videatur,* Quæstione præcedente, *monstrare voluimus. Quare ut de primo isto Curandi modo plura in præsentia addamus; opus esse non censemus.*

Curatio per Dei virtutem.

De Altero, *quem per* Dei virtutem *fieri, ac manuum impositione, vestium injectione,*

ctione, &c. obiri tradidit; hoc dicimus: ipſum Sanctis viris *per ſingularē Dei gratiam & benedictionem olim fuiſſe conceſſum, ſecundum illud* Marci c. 16. v. 17. *in nomine meo dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; ſerpentes tollent; & ſi quid mortiferum biberint, nullum tamen damnum inde ſentient: manuum quoq; impoſitione ægros ſanabunt.*

Hinc Paulus *à vipera demorſus nihil mali paſſus eſt;* Actor. c. 28. v. 5. *& Publii patrem, è Febre & Dyſenteria decumbentē, per manuum impoſitionem ſanavit.* ibid. verſ. 8.

Neq; verò morbos ſolùm per gratiam divinam Viri ſancti *abegerunt: ſed ipſos etiam mortuos ad vitam revocârunt; uti videre eſt in Elia* l. 3. Reg. c. 17. v. 20. *& Eliſæo* l. 4. Reg. c. 4. v. 33.

At Deus *hodiè miraculosè ampliùs nō ſanat: ſed per media certa & remedia.*

De Tertio *ſic ſentimus: nempe,* ſi ægri verâ Fide in Deum ferantur, *& ab eo ſanationem petant, eos non tam ab inſtituto avocandos, quàm ut in eo perſiſtant, admonendos eſſe.* Hoc *enim* ſi plures ægrotā- Curatio per Fidē.

tium attentiùs ac diligentiùs agerẽt; plures proculdubiò è gravissimis morbis liberarentur.

A Dæmone non petenda auxilia.

Sed si Fide sua ferantur in Dæmonem; *ab instituto isto non solùm viribus omnibus dehortandi; sed & pro merito objurgandi docẽdiq; sunt, quantoperè in* Deũ *peccent; dum* 1. *ab eo deficientes*; 2. *media & remedia ab ipso* Naturæ *concessa fastidientes*; 3. *& ipsius auxilio diffidentes, à dæmone*, quasi is Deo sit potentior, *opẽ petunt.*

Quod ipsum Hippocrates, *licet Ethnicus, agnovisse videtur. Nam* l. de Morbo sacro ab initio usq; ad text. 6. dist. Cornarii, *in eos graviter invehitur; qui eundem morbum expiamentis & incantamentis tollere conabantur.*

Vide quæ supra s. 3. de Curis Magicis *scripsimus.*

Tales antem curationes raro felicem successum & eventum sortiuntur. Ita enim Ochozias Rex *per cænaculi cancellos delapsus, non convaluit, quòd vero* Israëlis Deo *contempto*, Beelzebub *de sua sanitate consuluit, ut legimus* l. 4. Regum c. 1.

Quar-

Quartum *simpliciter damnamus; & ut à vera pietate alienum, atque ipsi è Diametro adversantem rejicimus.*

Ac licet facile largiri possimus: Dæmones rerum naturalium esse scientissimos: *illud tamen constanter negamus; eosdem quicquam in salutem hominum seriò agere. Quin illud agunt, ut fucatis medijs, & pro tollendo morbo nihil virium possidentibus, à Deo homines abducant; abductos in æternum exitium deturbent; deturbatos infernalibus ignibus tandem excrucient.*

Dæmones hominum exitio student.

Quæstio VI.
De Diæta.

Diætam *ad morborum curationem parum conducere, duabus potissimum rationibus persuadere conatus est* Paracels. in comm. sup. Hippocratis l. 1. aph. 5.

Prima *est: remedijs adversus morbum pugnandum esse:* Altera; *morbum* Diætæ *beneficio abactum, Diætâ vicissim mutatâ, recurrere. His addi potest* Tertia: *quòd ipsemet, Diætâ suisq; deq; habitâ, ægros nonnullos curaverit: teste* Oporino.

Rationes cõtra Diætæ utilitatem.

℞. Ad Primam.

Remedii *nomen dupliciter accipi potest.* 1. Laxè. 2. strictè.

Remedii significationes.

Laxè *sumitur; quatenus omnia omninò* auxilia, *sive ea* Pharmaceutica *sint, sive* Diætetica, *sive* Chirurgica, *cōprehendit: quæ pro morbi depulsione adhiberi vel solent, vel possunt, vel debent.* Strictè *accipitur: quatenus in specie* auxilia pharmaceutica *solùm comprehendit.*

Non solis remediis adversus morbum pugnandum.

Primo *igitur* sensu *concedimus: remediis adversus morbum pugnandum esse:* altero *negamus.*

Negationis autem Rationes sequentes producimus.

I. *Quæ antecedentia morbos prohibēt, consequentia eosdem sanant.* Hipp. lib. 6. Epid. com. 3. t. 40. *Atqui probè & convenienter instituta* Diæta *morbos prohibet. Ergo. &c.*

Assumptionis *probationem petimus. I. ab ipsa* Experientia. *II. ab iis, quæ* infra l. 3. *de sobrietatis commodis, & ingluviei nocumentis adferentur.*

II. *Morbos ex Repletione sanat Evacuatio.* Hippocrates lib. de Flatib. t. 2.

dist.

dist. Cornarii. *Atqui Diæta tenuis corpora repleta evacuat. Fames enim corpora siccat.* Hippocrates l. 7. aph. 59. *Ergo, &c.*

Rem exemplis probamus.

Hydropici fame restituti.

1. *De* Julio Viatore, *Equite Romano, è Vocontiorum gente fœderata, tradit* Plinius l. 7. c. 18. *quòd in pupillaribus annis aquæ subter cutem fusæ morbo prohibitus humore à Medicis, non solùm pristinæ sanitati restitutus fuerit: sed & naturam fecerit consuetudine, atque* in senecta caruerit potu.

2. *De rustico quodam Hydropico scribit* Benivenius de abd. sanat. causs. c. 13. *ipsum suo consilio, sed per iocum saltem dato, per integrum annum à potu abstinuisse, & convaluisse.*

3. *Similem historiam refert* Heurnius l. 7. aph. com. 59.

III. Commodam victus rationẽ *ad morbos & sanandos, & gignendos, vel exacerbandos esse utilissimam,* Dysenteria *certè &* Arthritis, *ne quid dicam de morbis aliis, evidẽter demonstrant. Etenim*

Dysentericorum Diæta.

1. *Quantoperè* Dysentericis victus adstringens; cibus solidior potiùs, quàm

quàm liquidior; potus parcitas, &c. conducat: *ii profectò, qui ipsorum curationi aliquando interfuerunt, facilè fatebūtur. Ex adverso, quàm validè iidem à victu contrario lædantur; infelices ipsorum obitus docere solent.*

Arthriticis quid noceat?

2. Adversissimam esse Arthriticis licentiosam vivendi atque epulandi consuetudinem, *tristes eorundem cruciatus & ejulatus satis superq; testantur.*

Vnde verissimè dixit Erastus Disput. Antiparacels. parte 4. pag. 280 *quòd in bona victus ratione dimidium sanationis* Arthriticorum *consistat.*

IV. *Cùm igitur* Medici antiquiores *usu didicissent*, Diætam maximum ad benè medendum adferre momentū: *peculiares & laboriosos commentarios de ea ediderunt. Hinc* Hippocrates in aphorismis passim, l. de ratione victus in morbis acutis, *& aliis libris sparsim de ipsa diligenter pertractavit.* Galenus *quoque singulares* de Alimentorum facultatibus *libros edidit.*

Ad

Ad Secundam.

I. *Ratio ista* non tam contra Diætam, quàm pro Dięta *concludit. Si enim solâ Diatâ morbi sanari possunt: utiq; ea ceu inutilis non erit diffamanda: sed potiùs cũ reliquis auxiliis* Therapeuticis *in usum vocanda.*

II. *Etsi non diffiteamur;* Diæta in pristinam permutatâ, pristinos morbos postliminiò quasi recurrere: *idem tamen & post Pharmacorum usum fieri observamus. Nam sive morbus aliquis per medicamenta plenè abactus sit; sive* reliquię *ipsius nonnullæ adhuc superstites adsint: vitio* Diætæ *morbus recrudescit, nisi per vacuãtia remedia corpori quis ocyùs succurrat, monente* Hippocrate l. 2. aph. 8. *Nam impura corpora, quò plus nutriuntur, eò magis læduntur:* ibid. aph. 10. *& quæ à morbis post crisin relinquũtur, recidivas facere solent.* ibid. aph. 12.

Recidivarũ caussæ.

III. *Nec Diætæ saltẽ vitio, sed &* medicamẽtorũ usu neglecto veteres affectus reverti solẽt: *ut liquet ex iis, qui vel ob alvi in excernendo segnitiẽ medicamẽtis leniẽtibus; vel ob alios aliquos affectus aliorum medicamentorũ usui sese assuefecerũt.*

Quamprimum enim illi *à lenientium usu desistunt; alvus obturatur: ubi verò* hi *suorum medicamentorum obliviscuntur: suos item morbos incurrunt.*

Ad Tertiam.

Cur interdum Diætæ errata non noceant.

Sit ita; Paracelsum Dięta susq; deque habita ægros nonnullos curavisse: *Diætæ tamen inutilitas inde non probatur. Etenim*

I. *Ægri illi* robustiores *fortassis fuerunt, ut propterea Diætæ errata faciliùs perferre possent.*

II. *Iidem ægri non tam* è morbis *internis, quàm* externis *laboraverunt. In ulceribus enim etiam deploratissimis curãdis miracula ipsum edidisse, nulla victus ratione præscripta aut observata, tradidit* Oporinus.

Paracelsus Diætam commendavit.

III. *Quomodò vulnerati tractãdi sint, ne ob delicta in victu commissa, prava & gravia quædam symptomata sibi acersant,* Chirurgiæ Tomo 1.l.1. tr.1. c.9. ibid. in præfat. sup. tract. 3. Ejusdem Chirurgię Tomo 2. parte 4. tract. 3. item Tomo 3. parte 1. lib. 1. c.17. eodem Tomo parte 3.l.2.c.1. ibid. parte 7.l.1.c.9. eadem

eadem parte l.2.in præfat.ad Lectorē, & ibid.l.3.c.1.*diligenter docuit & monuit.*

Cùm enim inordinata victus ratio corpus sanum destruat: *ecquid, quæso, commodi in ægrotum ab eadem redundare possit? Quare etsi optima Remedia adhibeantur, neque tamen ægri* Diætæ errata, *evitent; bonus curationis eventus sperari nō potest: æquè atq; tum, si in Diæta quidem non peccetur, Remedia tamē minùs commoda usurpentur.* Paracelsus Chirurg. Tomo 1.l.1.in præfat. sup. tract.2.

IV. Diætam ad morbos internos *quoq; tam præcavendos, quàm producendos* plurimùm valere, *nec ipse Paracelsus negare potuit; ut patet cùm ex iis, quæ modò ex ipsius scriptis allata sunt, tum quæ in eiusdē libris passim, inprimis tamen* de Tartaro, & Morbis Tartareis leguntur.

Conclusio: & Paracelsi sententiæ commoda interpretatio.

Ex his igitur manifestissimū est, dogma *illud* Paracelsi, *quo Diætæ inutilitatē adstruere visus fuit,* constare non posse: *nisi fortassis sequentem in modum explicetur.*

Ideò scilicet remediis contra morbum pu- Cur remediis prę

cipuè cō-tra mor-bum pu-gnandū?

gnandum esse: I. Quòd Diæta *non tam à Morbo primariò, quàm* Virtute & Natura corporis indicetur: *atque ad Indicans vitale, non autem Curatorium primariò dirigatur.* II. Quòd per medicamenta præcipuè *& ut plurimum, caussa morbifica è corpore exturbata,* morbi abigantur. *III. Quòd etsi* victus medicamentosus *ad morbi amotionem conducere possit:* imbecillior *tamen is* videatur, quam ut æquè citò ac feliciter morbus per ipsum tollatur.

QUÆSTIO VII.

De Vitæ Prolongatione.

Quanquam ordinis ratione illud Paracelsi paradoxon *hoc in loco excutiendum erat; quo statuit, non esse contra naturam, sed solum cōtra nostrum intellectum, ut quis ad mundi usq; renovationem vivat: tamen ipsius examen eò usque differre placuit, dum* infra l.3. Medicinę Utilitatem ac Necessitatem asserturi sumus. *Quò in præsentia Lectorem ablegamus.*

CAPUT VII.

De Paracelsi Vita & Moribus.

De Paracelsi Vita & Moribus, hæc in

Epist.

Epist. quadam *scripsit* Oporinus: *quæ ferè totidem verbis repetuntur à* Jocisco in vita Oporini, quam Argentorati excudit Theodosius Rihelius Anno 1569.

Quod ad Theophrastum Paracelsum attinet, *qui iampridem obiit, non quidem libenter eius manibus obloquerer: vivum tamen talem expertus sum, ut cum tali homine ita unquam familiariter vivere, ut cum ipso vixi, non facilè cupiam.*

Adeò præter mirabilem faciendi Medicinam in omni Morborum genere promptitudinem & felicitatem, *nullam in eo, neq; pietatem, neque eruditionem animadvertere potui. Et mirari non rarò soleo, cùm tam multa iam proferri video, quæ ab ipso scripta, & posteritati relicta affirmantur: quorum ego ne somnium quidē unquam illi obiectum puto.* Paracelsus in curatione felix.

Adeò erat totis diebus & noctibus, *dum ego ipsi familiariter per biennium ferè convixi,* ebrietati & crapulæ deditus, *ut vix unam atq; alteram horam sobrium eum reperire licuerit: maximè postquam Basilea discedens in Alsatia inter nobiles rusti-* Bibulus.

cos, & rusticos nobiles, tanquam alter Æsculapius, omnibus admirationi fuit.

Atq; interea tum, cùm omnium maximè esset ebrius, domum reversus, dictare mihi aliquid suæ Philosophiæ *solebat: quod ita pulchrè sibi cohærere videbatur, ut à maximè sobrio melius fieri potuisse nõ videretur. Ego deinde iisdem in Latinã linguam vertendis, ut poteram, vacabam. Et sunt eiusmodi libelli partim à me, partim ab aliis latinè conversi, postea editi.*

Noctu *toto, quo ipsi convixi, tempore* nunquam se exuit: *id quod ebrietati adscribebam. Plerunq; enim non nisi ebrius ad extremam noctem domum ibat cubitum: atq; ita, ut erat indutus, adiuncto sibi gladio suo (quem Carnificis cuiusdam fuisse iactitabat) in stratũ se coniiciebat; ac* sæpè media nocte surgens per cubiculum nudo gladio *ita* insaniebat, *ita crebris ictibus & pavimentum, & parietes impetebat, ut ego non semel mihi caput amputatum iri metuerem. Dies aliquot requirere possem, si eorum omnium, quæ me apud ipsum passum esse scio, mentionem facere deberem.*

In Chymia diligens. *Semper habebat officinam suam Carbonariam*

nariam paratam perpetuis ignibus: nunc Alkali *aliquod, nunc* Sublimati oleum, *nunc* Præcipitati Regem, *nunc* Arſenici oleum, *nunc* Martis crocum, *aut* Oppodeltoch *mirabile, & neſcio, quæ brodia coquendo.*

Mihi *certè* ſemel coctione ſua fermè ſpiritum vitalem oppreſſit; *dum ſpiritus in alembico ſuo adſcendentes contemplari iuſſo, & naſo propiùs admoto, remoto paullulum vitro, quod alembico ſubiectum erat, virulētos illos vapores mihi os & nares occupare curavit, & tantùm non ſuffocare me conatus fuit: adeò,* ut in Ecſtaſin delapſus frigidæ aquæ non mediocris ſuperfuſione reſtitui opus habuerim.

Interea ſe vaticinari quædam ſimulabat, & arcanorum quorūdam cognitionem præſe ferebat, ut clam aliquid, de quo ipſum metuerem, nō facilè aggredi auſus unquam fuiſſem.

Mulierum nullam curam habuit, *ut cum nulla unquā ipſi rem fuiſſe credam.* Mulierū oſor.

Initiò abſtemius erat, uſq; ad ætatis annum ferè 25. *Deinde ita vinum bibere*

bere didicit, ut totas mensas rusticis plenas propinando provocare, & bibendo superare ausus fuerit, digito tantū gulæ immisso crapula sese liberans, & rursum tanquam ne guttā quidem hausisset, potionib. indulgens.

Pecuniæ prodigus.

Pecuniȩ erat prodigus profusor, *ac sæpe ita destitutus*, ut ne obolum quidē ei superesse scirem. *Crastino statim rursum crumenam se habere benè instructam ostendebat, ut non rarò admiratus fuerim, unde ei fuisset suppeditata.*

Singulis ferè mensibus vestem novam sibi fieri curabat, *& priorem cuivis obvio donabat; Sed ita conspurcatam, ut ego nunquam mihi dari petierim; neq; ultrò oblatam, ut gestarem, recepturus fuerim.*

Diætȩ parum observans.

In curandis ulceribus, etiam deploratissimis, miracula edidit, *nulla ratione victus præscriptâ aut observatâ: sed cum patientibus suis dies & noctes potando ita eos pleno (ut solebat dicere) ventre tamen curabat.*


Prȩcipitati pulvere, *Theriaca aut Mithridatio, aut cerasorum, sive botrorū, succo in pilulas redacto, in omni morborū genere ad purgandum utebatur.*

Lau

Laudano suo (*ita vocabat pilulas instar murium stercoris, quas impari semper numero in extrema tantùm morborum difficultate, tanquam sacram Medicinam exhibebat*) *ita gloriabatur; ut nõ dubitaret affirmare, eius solius usu se* è mortuis vivos reddere posse: *idq; aliquoties, dum apud ipsum fui, reipsa declaravit.* Laudano plurimũ confisus.

Orare nunquam audivi, neq; vidi. *Neq; curabat etiam Ecclesiastica sacra: sed* doctrina Evangelica, *quæ tum temporis apud nos excoli incipiebat, & à nostris concionatoribus seriò urgebatur*, nõ multum curata. *Se aliquando* Lutherum & Papam *non minùs, quàm nunc* Galenum & Hippocratem, *redacturum in ordinẽ minabatur. Neq; enim eorum, qui hactenus in* Scripturam Sacram *scripsissent, sive Veteres, sive Recentiores, quenquam Scripturæ nucleum rectè eruisse; Sed circa corticem, & quasi membranam tantùm hærere. Et nescio, quæ alia nugabatur: quorum meminisse piget.* Hæc Oporinus. Pietatis non valdè studiosus.

LIBRI PRIMI FINIS.





DE MEDICINA ET Medicis LIBRI SECUNDI PROLOQUIUM:

Continens brevissimam dicendorum enarrationem.

CUM illud, quod *Aristoteles l. 1. de Anima, c. 1. t. 1.* de scientia in specie affirmavit, non minus in universum de aliis studiis & disciplinis liberalioribus verum sit, ut circa id, quod bonum est & honorabile, occupentur; ac proinde una præ altera certior, dignior, & præstantior habenda sit, prout circa res magis præstantes, & majorem admirationem excitantes versatur: quapropter ipsa *Medicina* vix disciplina ulla (præsertim quæ humana industria sit inventa) præstantior ac dignior inveniri poterit.

Etsi verò *Physica* & *Mathematicæ* scientiæ quò ad certitudinem ipsam vincere videantur; de *Medicina* tamen *utente*, seu ad usum applicata, non autem *docente*, seu cognoscente; vel, ut aliàs loquemur, non de Medicina, quâ Ars est, sed artifice Medico id inprimis intelligendum. Ipsam enim Medicinam per se satis esse certam, nec, uti

ipsam

ipſam nonnulli perperam calumniantur, penitùs conjecturalem, poſtea oſtendemus.

Deinde quod res attinet, circa quas verſatur: tam eæ præſtantes ſunt, ut propter illas nulli omninò diſcïplinæ (ſola excepta *Theologia* ſacratiſſima) nec velit, nec debeat eſſe ſecunda.

Sunt autem res illæ trium præcipuè generum. Aliæ enim *Subjectum*; aliæ *Finem*; aliæ *Media*, pro fine conſequendo neceſſaria, ſpectant. De his igitur *hoc Libro ſecundo* (quantum ſcilicet inſtituti noſtri ratio efflagitare videbitur) nonnihil in medium proponemus.

LIBRI SECUNDI
PARS I.
De Medicinæ Subjecto:
IN QUA SECTIO UNICA:
Cuius
CAPUT I.
De Homine & ejus præſtantia.

PRo ſubjecto (Operationis *videlicet*) *ſolum Hominem agnoſcimus. Nam inpræſentiarum non de* Veterinaria, *aut* Medicinæ Subjectū.

Mulo-Medicina *nobis sermo futurus est: sed illo duntaxat animi habitu, per quem morbis humani corporis medemur, & sanitatem ipsius custodimus. Vide* l. 1. parte 1. sect. 1. c. 1.

Hominis præstantia.

Hominem autem non minus graviter, quàm verè Mercurius Trismegistus in libello, qui est de voluntate Dei mirabiliter concinnatus, (ut loquitur Cælius Rhodiginus l. 2. lect. antiq. c. 17.) miraculum magnum, animal adorandum & honorandum, diviniore quodam spiritu concitus, & interiore instructus scientia nuncupavit. Quod ipsum Plato in Legibus *etiã confirmavit: &* in Antigone Sophocles *comprobavit, quando inquit:*

Nihil æquè stupendum ac Hominem
Natura parens produxit unquam.

Quo factum, ut eadem inter maxima rerum suarum nihil habeat, quo magis glorietur, aut certè cui glorietur. Seneca l. 6. de beneficiis c. 23. *Rectè igitur* Ovidius l. 1. Metamorph. fab. 2. *postquam aliorum animantium creationem pertexuisset, de Homine hunc in modum scripsit:*

Sanctius his animal, mentisq; capacius altæ,
Deerat adhuc: & quod dominari in cætera posset,

Natus

Natus Homo est, sive hunc divino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo. &c.

Et paullò pòst:

Pronaq; cùm spectent animalia cætera terram;
Os Homini sublime dedit, cœlumq; videre
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Quorum versuum posteriorum Lactantius l. de Opificio Dei, vel formatione hominis, c. 8. *rationem istam reddidit.* Homo cur erectâ facie conditus? *Cùm enim Deus*, inquit, *ex omnibus animalibus solum hominem cœlestem facere statuisset, cætera universa terrena: hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemq; constituit: scilicet, ut eadem spectaret, unde illi origo est. Illa verò depressit ad terram, ut quia nulla his immortalitatis exspectatio est, toto corpore in humum proiecta, ventri pabuloq; servirent. Hominis itaq; solius recta ratio, & sublimis status, & vultus Deo Patri communis ac proximus, originem suam fictoremq; testatur.*

Quare L. Apulejus lib. de Deo Socratis post initium *scitè dixit; quod præcipuum animal in terris exsistens Homo sit. Quam ob caussam* Sophoclis *illud* ex Antigone *meritissimè ingeminamus:*

Nihil æquè stupendum ac Hominem
Natura parens produxit unquam.

Verè

Homo Micro-cosmus. *Verè enim De⁹ universæ quasi Naturæ thesauros in Hominem recondidit: rerum omnium varietatem & simulacra collocavit: universi moderaminis formam (sunt verba* Cœl. Rhodigini l. 24. lect. antiq. c. 30.) *in eo expressit: ac, quod magis admirandum, Divinitatis suæ imaginem ipsi insculpsit.* Genes. c. 1. v. 26. & seq. ibid. c. 5. v. 1. & rursum c. 9. v. 6. Sapientiæ c. 2. v. 23. Ecclesiastici c. 17. v. 1.

Unde patet; Deum benignissimum, quod aliàs singulatim contulit in res singulas, id omne in solum hominem quasi effudisse.

Homo *igitur* Medico cognoscendus; Homo curandus, conservandusq; *proponitur. Quod quantæ molis, quantæq; difficultatis futurum sit, nemini vel ex iis, quæ jam generalissimè dicta sunt, obscurum esse potest.*

Caput II.

De Analogia Macrocosmi & Microcosmi.

D*Iximus,* Deum *in solius Hominis sinu omnia penè naturæ universæ miracula*

racula concluſiſſe. Ex quo apparet, rectè cùm ab Ariſtotele l. 8. Phyſic. t. 17. *tum aliis veteribus* Hominem parvum *quodammodò* Mundum *appellatum fuiſſe.* Homo Microcoſmus.

Etenim ut univerſum *hoc, quod pedibus partim calcamus, partim oculis intuemur, ac pro noſtri ſalute & conſervatione quotidiè uſurpamus, ſapientiſſimus rerum conditor in* globum cœleſtem & ſublunarem *diſpeſcuit; illi* aſtra *ſua tribuit; hunc* Elementis, Natura inanima, Animata, Bruta & Rationali *exornavit: ita non minus in Hominem iſta omnia contuliſſe deprehenditur.*

Nam 1. *Quod cœlo* Sol, *quod eidem* Luna, *ne dicamus de aliis: id ſanè* Cor (Galenus l. 3. de uſu part. c. 10. *oculos Soli comparat) &* Cerebrum *in humana Oeconomia.*

Quemadmodum enim Sol *ille* æthereus *totum mundum illuſtrat, radios beneficos de ſe ſpargens vitam rebus omnibus largitur, ſubtrahens eoſdem vitam quoque ipſam ſecum pænè ſubtrahere cernitur: ita* Cor, *ac ſi ipſum* Sol *quidam* humanus *foret, totum, quod regit, corpus calore beni-* Soli reſpondet Cor.

gno

gno perfundit, spiritu vitali irrigat, operandi prōptitudine nobilitat. Cui si mali quippiam eveniat, non solùm omnia reliqua corporis membra in consensum trahit; verùm etiam tantisper illa subinde deserere incipit, donec vita deficiente, cætera ex insperatò in interitum secum pertrahat.

Cerebrũ Lunæ.

2. *Quemadmodum* Luna cœlestis *lumen adscititium à Sole accipit, & mirandorum naturæ operum (ut infrà parte 3. sect. 1. cap. 2. è Galeno docebimus) opifex exsistit: sic* Cerebrum, fabricæ humanæ Luna, *à Corde spiritum vivificum suscipit, & in sua officina dextrè præparato ad varia munia utitur. Hic quippe Motui; hic Sensui ipsum destinat. Hic Gustui præficit: illic Audiendi officium ipsi committit. Hic tanquam è speculâ res intueri; illic jucundos earundem Odores captare jubet.*

3. *Quemadmodum* Luna *pro varia à* Sole *distantia varias nobis* φάσεις *& figuras exhibet: ita pro diversa* Cordis *&* Cerebri *ad invicem dispositione varia etiam in humano corpore symptomata enascuntur. Nam si* Cor *frigeat, sensus omnes torpent: si incaleat, vigent. Idem si nimiùm ferveat, ac fervidas fuligines in* Cere-

brum *exſpiret*; deliria, & phrenitidas *producere ſolet.*

4. *Quemadmodum* Luna, *terræ interpoſitione radiis ſolaribus defraudata, nunc tota, nunc ſecundùm partem duntaxat aliquam obſcuratur: ita & in* parvo Mundo terræ, *hoc eſt*, humorum *interventu varia progignuntur ſymptomata; qualia ſunt*, Apoplexię, Epilepſię, Syncopæ & Paralyſes.

Ne igitur mireris, Solem, Lunam, & univerſam *reliquorum* aſtrorum ſeriē *ſummo artificio diſpoſitam eſſe; neve te attonitum magnitudo eorum, vel pulchritudo, vel motus perpetuus, vel circuitionum certa deſcriptio reddat; adeò, ut ſi inferiora hæc comparaveris, parva tibi videantur eſſe, & omni ornatu carere. Etenim ſapientiam, virtutem, & providentiam ſimilem hîc quoq; invenies.* Galenus lib. 3. de uſu part. c. 10.

5. *Quemadmodum in* magno Mundo *Imbres, Pluviæ, Calores, Frigora, Siccitates, Inundationes, &c. non rarò oriuntur: ſic etiam* parvi Mundi *incolæ omnis generis Defluxionibus, Febribus, Inflammationibus,* Meteora.

tionibus, Hydropibus, &c. non infrequenter corripiuntur.

Monstra. 6. *Vt in illo varia* Monstra; *ita & in hoc nec minora, nec rariora occurrere cùm Anatomia, tùm libri à Medicis de rarioribus observationibus conscripti abundè fidem faciunt.*

Lapides. 7. *Vt ille* Lapidum; *sic non minus & hic eorundem feracissimus: adeò quidem, ut nulla propemodum corporis pars inveniatur, in qua ipsos fuisse genitos experientia non pridem docuerit.*

In cerebro genitorum exempla profert Schenckius l. 1. obs. 76. *orâ palpebræ,* Scal. Exer. 108. sect. 3. *faucibus*, Schenckius l. 1. obs. 351. è Nicolo Florent. serm. 5. tr. 9. c. 12. *linguâ*, Avenzoar l. 2. tr. 2. c. 2. Jacobus Forliviensis apud Anton. Guaïnerium l. de calculosâ passione, c. 1. Forestus l. 14. obs. 26. *pulmonibus*, Paullus Ægineta l. 3. c. 31. Benivenius de abd. sanat. caus. c. 24. Fernelius l. 5. Patholog. c. 10. Forestus l. c. in Scholiis. Schenckius l. 2. obs. 49. *jecore*, Wierus de præstig. Dæmon. l. 4. c. 16. Scaliger l. c. *intestinis*, Guaïnerius

rius & Scaliger l. c. *in sanguine & venis*, Realdus Columbus lib. 15. Anatom. Scalig. ibidem, Paracelsus Paramiri l. 3. tr. 5. Schenckius l. 3. part. 2. obs. 55. *In renibus autem & vesica vulgares sunt.*

8. *Vt in* magno Mundo *multa Insecta, ac plurima vermium proveniunt genera: sic & in* parvo *idem observare licet.* Vermes.

Vt enim de vermibus in Intestinorum involucris genitis nihil dicam: nonne in Cerebro natos testantur Fernelius lib. 5. Patholog. c. 7. Hollerius in scholio super l. 1. de morb. inter. c. 1. Forestus l. 9. obs. 2. in scholio, Thomas à Vega, in com. sup. Galeni l. 1. de loc. aff. c. 5. Guiliel. Fabricius centur. 1. obs. Chirurg. 8. Cornel. Gemma in appendice operis Cosm. de Hemitritæo pestilenti, apud Schenckium l. 1. obs. 79. *in auribus* Valescus de Taranta lib. 4. Philonii c. 30. *sub tit. Declaratio in vermibus*, quæst. 4. *Nihil jam addo de vermibus tussi, nihil de reiectis vomitu: nihil de variis ipsorum formis: nihil de symptomatibus ab iisdem excitatis.*

9. *Quod inter Mineralia Vitriolum,* Mineralia.

Alumen, Nitrum, Sal Gemmæ, Colchotar: inter Vegetabilia Vrtica, Aron, Dracunculus, Ranunculus, Flammula: id in Homine secundum quandam Analogiam, Pustulæ, Pruritus, Scabies, Herpes, Lepra.

Triplex Vita.

10. *Quam vitam* DEUS *ter* Opt. Max. *aliàs seorsim Vegetabilibus tribuerat; quamq; peculiariter Animantibus concesserat; eam conjunctim in unum Hominem contulit.*

Habet enim Homo in se Virtutem Vegetalem universè: non autem vires & facultates plãtæ cujuslibet particulatim. Sensu præditus est: at non quomodo sigillatim cuncta Animalia vel hoc, vel illo sensu præstant, ipse quoq; iisdem præstat. Erastus disp. Antiparacels. part. 3. p. 63. *A multis enim superatur certo aliquo, vel pluribus sensibus, secundùm distichon illud pervulgatum:*

Nos Aper Auditu, nos vincit Aranea Tactu,
Vultur Odoratu, Lynx Visu, Simia Gustu.

Quin ne majestati ipsius aliquid deesset, Deus Animã rationis compotem *ipsi inspiravit, Genes. c. 2. v. 7. & Terræ Marisq; Dominum constituit, ibid. c. 1. v. 28.*

Magna

Magna, inquiet aliquis, hæc sunt, & admiratione digna. Fateor. At omni admiratione maius est: quòd Deus Divinitatis suæ imaginem ipsi insculpsit, Genes. c. 1. v. 26. atq; habitaculum suum esse voluit; quem aliâs cœli cœlorum capere non possunt, l. 3. Reg. c. 8. v. 27. l. 2. Paralip. c. 6. v. 18. *& cuius solium cœlum est, & terra pedum scabellum*. Esaiæ c. 66. v. 1.

Ita enim Epistola 1. ad Corinth. c. 3. v. 16. *scriptum legimus. Nescitis, quòd templum Dei sitis, & Spiritus Sanctus habitet in vobis? Qui templum Dei violaverit, eum Deus perdet. Templum enim Dei sanctum est, quod vos estis.*

Et ibidem c. 6. v. 18. & seq. *Fugite fornicationem. Omne enim peccatum, quodcunq; commiserit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis? quòd membra vestra sint templum Spiritus Sancti, qui in vobis est; quemq; à Deo nacti estis, ut vestri proinde non sitis. Empti enim precio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro.*

11. *Quemadmodum* Magnus Homo (*ita enim appellatur Mundus à* Cœ- Eversio.

lio Rhodigino l. 2. lect. antiq. c. 18. & 21.) *olim per* κατακλυσμὸν, *seu diluvium, eversus; tandem verò per* ἐκπύρωσιν, *seu incendium, evertendus: ita idem in* parvo *quoq;* Homine *si non ad unguem, tamen per similitudinem quandam usu venire videmus. Aut enim corpus febrili æstu contabescit; aut defluxione, ceu cataclysmo aliquo, exstinguitur.*

Hæc Hominis, *seu* Microcosmi, *cum* Macrocosmo *brevis est collatio. E qua facile quispiam æstimare potest; qua ratione Deus Hominem ad Mundi imitationem omnifariam compegerit; cùm quicquid Mundum senescentem perimit, vel novum instaurat; idipsum Hominem quoque aut natum foveat, aut adultum ad interitum perducat.* Cælius Rhodiginus ibid. cap. 21.

CAPUT III.

Quòusque Macrocosmi & Microcosmi analogia sit extendenda?

A*Nalogia* Macrocosmi *&* Microcosmi, *capite præcedente à nobis adumbrata, quatenus intra cancellos suos se* conti-

continuerit, laudanda utiq; & acceptanda: sin extra eosdem liberius evagata fuerit, digna proculdub o, in quam etiam severius eruditi animadvertant.

In hac autẽ re Theophr. Parac. *dogmatũ religiosi ne dicã, an superstitiosi sectatores ac propugnatores peccare videntur. Qui etsi in eo culpãdi minimè sunt, quòd singularem* Magni *cum* Parvo mundo *consensum diligenter eruere, erutum pari diligentia nobis declarare nituntur: reprehendendi tamen nonnihil sunt, dum hac sibi concessa licentia nimis licenter abutuntur.*

Nihil enim est, quod vel animo concipere, vel sedula indagine in Magno mundo *pænè reperire possis: cuius tibi in* Parvo *vel veram formam, vel saltem umbram aliquam esse expressam persuadere non vereantur; imitati* Paracelsum l. 4. de Origine morb. invisibil. in initio, & Paragrani. 1. tract. 2, *nec non alibi.*


Vnde Orientem in Ore, Occidentem in Ano, Meridiem in Vmbilico, Septentrionem in Dorso constituunt. Vesicæ Mare Salsum & Occidentale, in quod omnes corporis rivuli defluant; Venæ Cavæ Mare Mediterraneum adscribunt.

Hac item licentia abusi similem quandã analogiam in aliis rebus quæsiverunt. Cujus beneficio factum, ut per essentialem, *vel* Vitalem, Anatomiam *Melissam cœlestem, Pleiadas terrestres, Chelidonium Aquæ, Vitriolum Terræ, Gamandream Aëris, Mannam Terræ, & alia huius generis sexcenta, inquiri & cognosci debere scripserit* Petrus Severinus Ideæ Medicinæ Philosophicæ c. 3.

Satius equidem, meo iudicio, tales facerent; si, in partium Corporis humani situm & structuram; earundem ad invicem connexionem ac consensum; admirandasq́ operandi facultates observandas, diligentiam aliquantò maiorem impenderent.

Anatomiæ utilitas.

Ast hæc ipsis Localis & Mortuę Anatomiæ *nomine sordere videntur. Quasi verò Medicus de Morbi Caussa apposite disserere, Natura ipsius certi aliquid pronũciare, Morem cognoscere, Evẽtum prædicere, Sedem affectam invenire, & Morbo expugnando Remedia idonea excogitare possit, nisi illa omnia, quantum satis sit, didicerit.*



CA-

Caput IV.

De Anatomiæ utilitate.

Hic non incommodè veterum illorum Empiricorum *importunitas redarguenda venit: qui, ut testatur* Celsus in prooemio l. 1. *Anatomiam mortuorum nō solùm fœdam, verùm etiam penitùs inutilem esse contenderunt: eò, quòd pleraque in mortuis aliter se habeant, ac in vivis.*

Ex eodem hoc fonte manavit; dum nonnulli, (quos tamen æquiores alienarum rerum æstimatores esse decebat) in Medicos publicè debacchari, & punitorum cadavera Medicis ad Anatomen nullo modo esse concedenda *profiteri, atque insuper queritari non sunt veriti: iniquos esse Medicos, & crudeles in mortuos, habere potestatem gladii in facinorosos, & alteram in ipsos exercere pœnam.*

Quibus equidem posterioribus *ut prolixè hoc in loco respondeamus, opus planissimè non est. Dudum enim* Cæsares *invictissimi,* Reges *serenissimi, ac* Principes *illustrissimi, petulantem istorum insaniam sua maiestate compresserunt; dum in publicis Academiis non solùm reliqua Medicinæ,*

verùm etiã Anatomiæ Professores *honestis stipendiis aluerunt, hodieq; alunt: alturi etiam quoad Academiarum salus persiterit.*

Cum Prioribus *igitur nobis in præsentia res erit: dum ostendemus*; neminem in Artis nostræ operibus cum ægrorum emolumento olim versari posse, qui sibi aliquam secandi peritiã prius non comparaverit.

Nephritis & Colica. *Nam ut res exemplis quibusdam fiat illustrior: quomodò Medicus* dolorem Nephriticum à Colico *rectè distinguet, nisi tum coli, tum Renum, & ex his prodeuntiũ Vreterum, Situm, Conformationem, cum aliis Connexionem, & quæ sunt reliqua, quæ in unaquaq; parte necessariò consideranda, benè noverit? Facilè enim fieri potest, ut nonnunquam Medicus, satis quidem aliàs exercitatus, illorũ similitudine decipiatur.*

Cauteria. *Deinde quomodò sat tuto loco Cauteria inuret, nisi Musculorum situm secando itidem exploraverit? Hunc enim si quis susq; deq; habere velit, facilè ipsi idẽ, quod Pharmacopœo illi, evenire potest. Cùm enim is sibimet sub genu dextro causticum non satis*

com-

commodo loco applicuisset; factum est, ut paullò pòst dolor acerbissimus, inflammatio, febris, inquietudines, & convulsionis metus oborirentur, teste Guiliel. Fabricio obs. Chirurg. centur. 1. obs. 94. *cùm tamen altàs non tantùm sine omni periculo, sed & sine dolore propemodum omni à prudenti & perito applicari possint.*

Praeterea, quomodò luxata, si aliquando usus & necessitas ita requirat, vel ipse commodè reponet, vel utrùm à Chirurgo ritè reposita sint, dijudicaibt: nisi articuli structurā ex Anatomia didicerit? Quàm multi enim aegri ob malè curatas luxationes vel penitùs pereant, vel in alia mala gravia praecipitentur, tam notum est, quàm quod notissimum. Luxata.

Adhaec, ecquae alia fuit superstitiosae illius venarum in brachio secandarum electionis caussa, quàm Anatomiae ignorantia? à Valverda *primùm, postea à* Vesalio l. 3. Oper. Anatom. c. 8. *mox à* Fallopio in Institutionibus, *& post hos à* Bauhino l. 4. Theatri Anatom. c. 23. *item* Riolano, Filio, in Schola Anatomica, mihi pag. 255. *recentissimè detecta? Cùm enim* Venarum electio.

tàm Cephalicæ, *quàm* Basilicę *exortus idem sit; si constiterit, venam brachii huius, vel illius secandam esse: præstabit utiq; eam, quæ ligato brachio magis conspicitur, magisq; turgetur tundere.* Bauhinus loco allegato.

Clysteres. *Tandem quòd superioribus intestinis affectis medicamenta per os exhibenda, inferioribus verò laborantibus eadem ano per clysterem infundenda, rectè præceperit* Galenus l. 5. meth. med. c. 11. & l. 13. meth. med. cap. 17. *Anatomia comprobavit. Si enim illis malè affectis clystere iniecto mederi cupias, valvula, Ilei & Coli principio adnata, & à* Bauhino Anno 1579. *primùm inventa, ut testatur* in Instit. Anat. mihi pag. 42. de part. similar. parte 2. cap. 26. in appendice libri de partu Cæsareo Rosseti, mihi pag. 273. & l. 1. Theatri Anatom. cap. 17. *impedimento est, ne quid sursum ad tenuiora intestina adscendere possit.*

Omitto nunc alia: quæ pro confirmatione præsentis quæstionis adferri possent: præsertim cùm l. 1. parte 2. sect. 4. class. 2. c. 2. *in hanc rem nonnulla dicta sint.*

Hoc

Hoc unum addo: Anatomiæ scilicet cognitionem propterea Medico non parũ esse necessariam, quòd, ut Zabarella lib. 2. de Natura Logicæ c. 4. & l. 2. de Methodis c. 11. *docet, nullus artifex in subiecto penitùs ignoto operari possit.*

Patet hoc ipsum ex Aristotelis l. 2. Phys. c. 2. t. 22. *inprimis verò* l. 1. Ethicor. Nicomachicor. c. 13. *ubi disertè ait, quòd ut Medico, oculum aut totum corpus curaturo, necessaria est oculi totiusq; corporis structuræ ac naturæ cognitio: ita etiam Ethico, vel Morali Philosopho, necessaria sit Animæ notitia.*

Nec malè de Medico sensit Aristoteles. Corporis enim natura, scribit l. de loc. in homine t. 4. dist. Cornarii Hippocrates, *principium est sermonis in Arte Medica.*

Cùm autem Medicus humanum corpus duplici via cognoscere possit, unâ per sensum; *alterâ per* Rationem: *idcirco Anatomia magni omninò erit æstimanda; utpote quæ illam corporis humani notitiam suggerit, quæ à sensu haberi potest. Unde* Averrhoes l. 1. Collect. *Anatomiam ad subiecti cognitionem rectè retulit.* Ratio cognoscendi subjectum Medicinæ.

Quæ verò per Rationem *acquiritur, ea per Caussarum, cùm Materialiũ, & Formalium, tum Efficientium & Finalium instituatur, auctore* Avicēna l.1. fen.1. doct. 1. sub titulo, de subjecto Medicinæ

Hæc tamen cognitio, si rem accuratius pensitemus, non tam subiectum primariò, quàm Finem Artis Medicæ, (qui sanitas est) concernit: quatenus quid ille sit, in quibus consistat, quibus turbetur, quib. acquiratur, quibusve conservetur, declarat.

Fœditas operis *si quem deterret: is certè nimis mihi videtur delicatus; ac proinde priscis Medicis nequaquã similis: quorum tamen doctrinam se amplecti ac sequi gloriatur. Si enim sola operis fæditate ab hoc studio deterretur: quidni universæ Medicinæ vale-dicit? Neq; enim fieri potest, quin cũ magna sæpe molestia partim apud ægros, partim adstantes aliquãtò sordidiores, Medicinam exercere cogatur.*

Medicina qualis Ars.

Quare non male Auctor l. de flatib. in initio *dixisse videtur: quòd Medicina ex illarum Artium sit genere: quæ iis, quibus ipsarum cognitio contingit, multum laboris ac molestiarum exhibent: illis verò,*

qui

qui earum usu indigent, iucundæ ac utiles exsistunt. Medicus *enim, inquit, singula pericula oculis perlustrat, nulla voluptate contrectat, &* ex alieno malo proprias sibi molestias demetit. *Ægrotantes autem Artis beneficio à maximis malis; utpote à morbis; doloribus, tristitia, morte, liberantur.*

Et sanè potest hoc studium satis mundè tractari: modò quis suapte natura munditiei studeat.

Denique etsi non diffitear, in mortuis *respectu vivorum partium aliquam reperiri dissimilitudinem:* non est *tamen* nulla penitùs *earundem* similitudo; *ut iam nihil de Situ, Connexione, Figura, & similibus adferam, quæ in mortuis perinde atq; in vivis exsistere ipsa αὐτοψία docet.*



Ca-



LIBRI SECUNDI.
PARS II.
De Fine Medicinæ:
IN QUA SECTIONES TRES:
Quarum Prima,
hoc est
PROOEMIUM.

UT Medicina *subjecti* ratione, in quod operatur, nulli disciplinæ est secunda: ita *Finis* gratiâ aliis facilè anteferenda. In id siquidem curas suas omnes & conatus sollicitè dirigit; ut non Physici instar admirandam corporis humani fabricam animi saltē & cognitionis ergo contempletur: Sed ut sartam, tectam ac numeris omnibus absolutissimam tueatur. Tuetur verò illam: *Sanitatem præsentem conservando, labentem sustentando, lapsam erigendo.* Quæ omnia ad duas illas primas Medici functionum differentias reduci possunt; quarum una morbus præsens curatur, alterâ futurus impeditur. *Gal.l.4.meth.med.c.3.* Sanitas itaq; Medico cognoscenda, sanitas curanda & procuranda.

∞§(*)§∞

CA-

Caput I.

De Sanitatis Præſtantia.

Sanitate firma, ut nullæ opes, nullæ fortunæ ampliores : ſic labente nihil tædioſius, calamitoſius nihil. Heurnius in Orat. de Med. Origine. *Placet rem iſtam paullò pleniùs illuſtrare, & rationibus non levibus confirmare.*

Nec refert, ſi quiſpiam illud, quod Sophiſtæ, Herculem apud Spartanos laudāti, Archidamus, vel quis alius occlamâſſe dicitur, & nobis occlamet : Ecquis verò ſanitatē vituperat? Hoc enim ſi quiſpiam faciat ; ei vel hoc unicum Diogenis *regeremus, quod apud* Stobæum Serm. de Intemperātia *legimus. A Diis quidem, inquit, homines ſanitatem precantur : pleriq; tamen omnia ſecus, quàm valetudini conducat, faciunt. Ergo, ut quàm nobile bonum ſit ſanitas, nulli non pateat ; lubet in ipſius laudes parumper digredi.*

1. *Quid, quæſo, adiumenti genus & veteres ceræ; quid iucunditatis forma ; quid opis divitiæ ; quid delectationis cibi delicatiſſimi; quid auxilii veſtes precioſæ ; quid voluptatis ædes magnificè exſtructæ ; quid oble-* Sanitatis laus à reb. agendis.

Ctamen-

lectamenti agri, prata, horti elegantissimè exculti; quid, inquam, oblectamenti hæc omnia attulerint ei, cui domi in lectulo decumbendum, cum morbis gravissimis assiduè depugnandum, doloribus acerbissimis conflictandum, quiete optata carendum? Quis sit? qui, si ita lãgueat, prædicta omnia cum una sanitate commutare nolit?

Nullius quippe usus in vita humana esse potest. Nam neq; domui regendæ, neq; pubi Scholasticę informandæ; neque Reipubl. administrandæ commodus est. Animi enim ipsius mens turbata, & ægritudine aliò rapta & distracta, nil penè aliud præter lachrymas & eiulatus cogitare potest.

A quiete. II. Quàm suaviter vel in duriore cubat stragulo, qui valetudine inculpata fruitur, & corpus diurno exercitio nonnihil defatigavit? Contrà; qui immanibus exercetur doloribus, quàm malè, vel in mollissimo lectulo quiescit? quot noctes insomnes trãsigit?

Quocirca pulchrè Ion Sophista apud Plutarch. in l. de tranquil. animi, dicere solebat: rem morosam esse ægrotationẽ. Nam ægrotis uxor molesta est; & Medicum incusant; & lectulum molestè ferunt. Ex amicis

etiam

etiam si quis accedit, gravis est: & qui discedit, molestus.

III. Quantâ delectatione panem cum sale aut caseo comedit is, cui fames optimum ciborum condimentum: *cùm alter fercula quantumvis variis gulæ illecebris contemperata, non nisi maximo cum fastidio, non dicam deglutire, sed ne olfacere quidem sæpenumerò possit?* A ciborũ varietate.

IV. Nonne dulcius est, in libero aëre versari; rerum varietatem in eo intueri; admirandos corporum cœlestium motus contemplari; rerum è terra nascentium pulchram varietatem, & variam pulchritudinem rimari; fluviorum cursus elegantiam admirari; hominum & animātium naturas atq; ingenia diversissima expiscari: quàm in ædibus, superbissimè quidem ædificatis, lectulo cuipiam miserè affixum teneri, nil nisi gemitus edere, suspiria ducere, lachrymas profundere? In quibus etsi parietes artificiosissimè depicti, & figuris iucundissimis exornati sint: homines *tamen, ut ille ait,* mortis imaginem in vultu gerunt. A naturæ contemplatione.

Putabitne igitur aliquis, sanitati bonum ullum, in hoc quidem mortali mundo, æquiparari posse?

V. *Quapropter rectè dixit* Hipp. l. de Salubri diæta in fine; *quòd res preciosissima sit sanitas: &* Menander

οὐκ ἔστ' ὑγείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ:

Hoc est; Nil sanitate vita habet præstantius.

Cumq; tanta sit ipsius excellentia, ut propter se, & magis quidem propter se, quàm alia consequentia commoda ab omnibus expetatur: rectè utiq; à Jacobo Zabarella, *Philosopho quondam Patavino*, l. 1. de Natur. Log. c. 15. *Sanitas vel particula quædam ipsius felicitatis; vel saltē conditio quædam, sine qua felicitas esse nō possit, appellata fuit.*

A felicitate humana.

Hinc Thales Milesius, *quisnam felix esset, olim interrogatus, eruditè respondisse dicitur à* Laërtio l. 1. in ipsius vita: *qui corpore sanus est, animo autem non ignavus neque imperitus. Cui consonat illud* Menandri;

ὑγεία καὶ νοῦς ἐσθλὰ τῷ βίῳ δύο:

Hoc est: Sunt sanitas & mens duo vitæ bona.

His præmissis, ecquis iam sit, qui Pæana, ab Ariphrone Sycionio, *in honorem bonæ valetudinis scriptum, iucūdissimum simul & gratiarum plenissimum, ut à* Scalig. l. 1. Poet. c. 44. *nominatur, canere nolit?*

ὑγεία

ὑγεία πρεσβύστα μακάρων,
μετὰ σοῦ, ναίοιμι
Τὸ λειπόμενον βιοτᾶς.
σὺ δέ μοι πρόφρων σύνοικος εἴης.
εἰ γάρ τις ἢ πλούτου χάρις, ἢ τεκέων,
τᾶς εὐδαίμονός τ' ἀνθρώποις
βασιληΐδος ἀρχᾶς, ἢ πόθων,
οὓς κρυφίοις ἀφροδίτης ἄρκυσι θηρευόμεν·
ἢ εἴ τις ἄλλα θέοθεν ἀνθρώποισι τέρψις,
ἢ πόνων ἀμπνοὰ πέφανται:
μετὰ σεῖο, μάκαιρα ὑγίεια
τέθηλε πάντα, καὶ λάμπει χαρίτων ἔαρ.
σέθεν δὲ χωρὶς οὔτις εὐδαίμων.

Quem aliquando Clarissimus Vir Dn. D. Daniel Sennertus, *affinis noster honorandus, & apud* Wittebergenses *Medicinæ Professor, his Anacreonticis Latinè eleganter reddidit.*

O sanitas beata,
O sanitas amanda,
O sanitas verenda
Tecum ô mihi beatè
Reliquum agitare vitæ
Liceat! mihi perennis
Comes ô adesto vitæ!
Nam quicquid est bonorũ,
Et quicquid est leporum,
Et quicquid est honorum,
Et quicquid est amorum,
Magnis in auri acervis,
In liberis venustis,
In Principum decore,
In Conjugum favore,
Et quicquid est, quod amplè
Largitur orbis Auctor
Quietis à labore,
Gaudiq; post dolorem:
Tecum viget viretq;.
O sanitas beata!
Tu ver facis suave
Fulgere gratiarum
Sine te nihil beatum.

Caput II.

De Medicinæ ob Sanitatis dignitatem Præstantia.

Ergo cùm tanta ſit Sanitatis præſtantia, ecquid dignitatis in ipſam Medicinam *redundaturum putabimus, ſi Medici ipſam omnibus conatibus curent & procurent? Equidem quin plurimum in ipſam redundet, fieri non poteſt.*

Et ſanè redundabit in eam tantò plus, quantò non tam privatarum, quàm publicarum perſonarum ſalutem ac ſanitatem Medici curaverint diligentiùs.

Vnde ſequitur: Medicinam non privatæ ſolummodò, ſed Rei etiam publicæ commodi plurimum adferre.

Nam ſi è ſalute boni Principis ſubditorum ſalus animam propemodũ & ſpiritum ducit: : *ſi ſtrenui belli Ducis incolumitate univerſus exercitus vivit, viget & vincit: Medicus equidem dum Principem quempiã vel belli Ducem è morborum carceribus liberat, & ex ipſius ferè mortis faucibus eripit: pro ſubditorum & totius alicuius exercitus ſalute laboraviſſe iure ac merito optimo dici poteſt.*

Quam

Quam laudem ſi quis Medicis derogare & denegare auſit: eum Abderitarum *exemplo laudatiſſimo convincemus. Cùm enim hi Democritum inſanire falsò ſibi perſuaſiſſent; litteras ad* Hippocratem *ablegaverunt, eumq; ad ſanandum Democritum, cùm amplo ſtipendio Promiſſo, tùm cauſſis graviſſimis in medium adductis, invitaverunt. Ita verò ad Hippocratem ſcripſerunt.*

Abderitæ vocant Hippocratem.

Etiamſi urbs animæ Democriti cauſſa aurum eſſet: tamen voluntati noſtræ nõ reſponderet, ſive tandem quacunq; etiam re ipſi carendum eſſet. Leges noſtras putamus ægrotare, ô Hippocrates, *leges prævaricari. Adſis optime Vir, curaturus virum inſignem. Non Medicus, ſed Conditor, ſacratiorem tota Ionia murum nobis circumdabis.* Civitatem, non virum curabis: *& Senatum ægrotantem, &, ne claudatur, periclitantem, aperies.* Ipſe Legislator, ipſe Judex, ipſe Princeps, ipſe Servator, & horum Artifex advenies. *Ob hæc te exſpectamus, ô* Hippocrates, *atq; hæc etiam fient, ubi veneris. Vna civitas nõ ignobilis, imò tota Græcia rogat te, ſerva corpus*

 ſapien-

sapientiæ. Quin potius ipsam apud te legationem agere puta doctrinam, ab hac prævaricatione liberari supplicantem. Cognata equidem res est omnibus, velut apparet, sapiētia. Verùm his, qui propiùs ipsam complexi sunt, veluti nobis, etiam longè ampliùs. Et sicut probè nôsti, gratificaberis etiā futuro seculo, si non destitueris Democritum propter veritatem, cuius primas se laturum esse sperat. Hæc Abderitæ.

Scilicet Platonis *illud, quod est* in Epist. 7. post initium, *verum esse censuerunt, quòd in illa Republ. cives à vitiis citiùs desisterent, quam vel homines rectè vereq; philosophantes gubernarent; vel illi, qui gubernant, divina quadam sorte verè philosopharentur. E quibus manifestum evadit: quantum emolumenti in Rempublicam ab ipsa* Medicina *redundet.*

CAPUT III.

De Sanitatis Naturæ cognitionis utilitate.

Quandoquidem de Sanitatis Natura in genere saltem nonnulla deinceps à nobis dicenda sunt: placet illud in præsentia dispicere; an Medico utilitatis aliquid adferat

ferat, si in Sanitatis Naturã inquirat?

Sanè si quis vel Empiricorum, *vel* Methodicorum *placitis hodieq; insisteret: inutilem esse talem operam inferre posset.*

Ast cùm utrorumq; dogmata hodierno quidem tempore ab iis, qui doctiores sunt, ob rationes l. 1. part. 2. duabus peculiaribus sectionibus *à nobis propositas, deserantur, & non nisi eo sensu, qui* ibidem *monstratus est, recipiantur: patet, operam & conatum prædictum neutiquam esse inutilem.*

De cuius utilitate, ut liquidiùs constet; rationes nonnullas in medium adferemus, ut vel ii etiam, qui augustum Dogmaticorum *nomen sibi arrogant, (cùm tamen nihil sint minus, & vix cum antiquioribus illis Empiricis conferendi) intelligãt, quàm malè* Theoricis, *uti appellantur, fastiditis & neglectis, vel obiter duntaxat inspectis ac degustatis, ad ipsam praxin confestim, ac illotis quasi manibus, ruant.*

Vt enim illud hoc loco è l. 1. part. 2. clas. 2. c. 2. & 3. *non repetam, quòd Empiria manca sit sine ratione: illud tamen certo certius est.* Empiria sine ratione manca.

I.

Quòd artifex fine suo potiri non possit, nisi, quis ipse sit, noverit. Alexand. de Ales apud Johan. Baptistam Bernardum in Seminario Philosoph. Aristotel. pag. 510. *Finis enim movet omnia alia, quæ pro ipsius adeptione utilia sunt ac necessaria.* Alb. Mag apud eũdem ibid.

Res hæc declaranda exemplo ac simili, ab Aristotel. l. 1. Ethic. Nicomach. c. 2. *usurpato, ut persuaderet, ultimi humanarum actionum finis cognitionem utilem esse ac necessariam.*

Simile. *Vt enim Sagittarii à meta facilè aberrare possunt, nisi quàm diligentissimè ipsam intueantur atq; observent: ita etiam fieri non potest, ut is morbos internoscat, auxilia competentia inveniat, & feliciter ad usum applicet, qui id, cujus gratia applicat, hoc est, sanitatem, seu statum corporis s. n. priùs probè non noverit ac didicerit.* Galen. l. 2. meth. med. c. 4. & 5.

II.

2. *Quantò Medicinæ subjectum artium aliarum subjectis est nobilius:* (vide hujus libri part. 1. c. 1. & infra. l. 3. part.

2. *ubi in illud inquiremus; an sola Natura morborum sit medicatrix*) *tantò utiq; in Finis, sive sanitatis cognitionem Medicus debet incumbere diligentiùs. Hoc enim nisi fecerit; sed ausu temerario ad curationem accesserit: nihil certè aliud sperare licet, quàm ut ipse quidem aliorum periculis discat, & per mortes experimenta agat;* Plinius l. 29. c. 1. *Terra verò ipsius errores cōtegat: quod* Socratem *dixisse ferunt.*

Sunt enim nonnulla auxilia Medica eâ facultate prædita, ut si immoderatiùs aut intempestiviùs usurpētur; vitam ipsam adimant. Talia præ aliis Purgantia *maximè sunt*, Narcotica & Venæsectio. *Etenim*

I. Purgantia *cùm sui, tùm corporis purgandi ratione obesse queunt. Et sui quidem ratione dupliciter.* Purgantium noxæ.

1. *Quia ipsorum natura, præcipuè tamen eorum, quæ violentiora exsistunt, tam corporum purgandorum naturæ in universum contraria:* Galen. l. 2. de vict. rat. in morb. acut. com. 12. *quàm in specie ventriculo, & inprimis ipsius orificio superiori, quòd propter nervosam substantiam acutissimi est sensus, adversa.* Libello de his,

quos purgare oportet, prope finem.

Purgantium correctio.

Quas ob causas beneolentia quædam, quæ quidem malitiam reprimant; vim tamen purgandi non planè impediant: ipsis admisceri scripsit ibid. Galenus.

Hypercatharsis.

2. *Quia maiore dosi exhibita, evacuatis humoribus noxiis, & eos, qui laudabiliores sunt, quin imò ipsum etiam sanguinem propter mordicationem, vasorum apertionem, & eorundem magnam imbecillitatē, demum exturbant: ut in superpurgationibus videre est.* Gal. l. 2. de Element. c. 4. & lib. 3. de simpl. med. facult. c. 27. & 28.

Corporis verò purgandi ratione obesse solent.

Sanis purgantia noxia.

1. *Si sanis exhibeantur. Hi enim ab ipsorum usu statim deficiūt.* Hippocrates l. 2. aphor. 36.

Deficiunt autem I. Quia utiles humores evacuantur. II. Spiritus exhauriuntur. III. Vires prosternuntur. IV. A calore & acrimonia nervi, atq; os ventriculi vellicantur. V. Qualitate malignâ cor molestatur.

Hæ igitur causæ fuerunt, ut Hippocrates l. 4. aph. 16. *corporibus sanis hellebori usū interdixerit.*

2. Si

2. Si corporibus quidem impuris offerantur; Sed non præparatis.

Corpora ante purgationem præparanda.

Præparantur autem corpora I. si humores crassi attenuentur; lenti incidantur. Galenus l.2. aph. com. 9. & libello de his, quos purgare oportet. *II. Si corporis meatus, per quos purgatio instituēda est, non patentes reserentur: puta venæ mesaraicæ obstructæ, & intestina fecibus duris oppleta, quando purgatio per inferiora est instituenda, aperiantur. Huc quadrat* Hippocratis aphorismus è Sectione secunda nonus: *Corpora quocunque quis purgare volet, eò fluxilia reddere oportet.*

Secus enim si fiat, ægrè succedit purgatio, & quidem non sine 1. *ventris torsione.* 2. *vertigine.* 3. *corporis inquietudine.* 4. *interdum etiam solutione & difficultate.* 5. *pulsus depravatione.* Galenus ibidem in comm.

Narcoticorum noxæ.

II. Narcotica *intempestiviùs & diutiùs adhibita* 1. *partium calorem exstinguunt.* 2. *nervos resolvunt.* 3. *motum & sensum adimunt.* 4. *quantitate paullò maiore sumpta interimunt.*

Sic sæpè observatū est: eos, quibus somni saltem

saltem conciliandi gratia propinata fuerũt, tàm alto somno fuisse obrutos, ut nec ipsi iterum experrecti sint, nec ab aliis expergefieri potuerint.

Rectè igitur Galenus l. 12. meth. med. c. 1 & ibid. l. 13. c. ult. *monuit: Medicos in Narcoticorum usu cautos esse debere ac prudentes.*

Venæsectio.

III. Venæsectionem ad animi usque deliquium institutam, *maximum & utilissimum si vires satis validæ sint, in febre Continente à sanguinis copia ortâ, esse remedium; cùm Ratione, tùm Experientiâ confirmat* Galenus l. 9. meth. med. c. 4.

Ratione *quidem: quia per eam 1. natura oneris parte levatur. 2. levata ad reliquias exstirpandas roboratur. 3. corpus confestim refrigeratur. 4. alvus laxatur. 5. vomitus biliosus quandoq; oritur. 6. madores & sudores toto corpore erumpunt.*

Experientiâ *verò; quòd unica venæsectione Febrem Sanguineam, præcipuè non putridam, ipsum iugulâsse nonnulli & viderint, & ad alios dixerint.*

Nihilominus si imperitè instituatur; gravia & grandia nocumenta ipsam subsequi

qui solent. Nam 1. quidam ægri in ipsis Medicorum manibus exspirant. 2. nonnulli paullò post ob vires exhaustas intereunt. 3. alii cachexia. 4. alii hydrope. 5. alii aliis affectibus corripiuntur. Quam rem Galenus ibid. c. 10. *exemplis quibusdam comprobat.*

III.

Vt in Methodo medendi prima ac maximè solennis faciendorum Indicatio est illa, quæ affectum ægrotātis amovere suadet: ita in ὑγιεινῇ, *seu Tuendæ sanitatis doctrina præcipua est illa, quæ sanitatem servare & custodire monet.* Gal. l. 9. meth. med. c. 9. & 10. *Vt autem illud per contraria*; l. 9. meth. med. c. 9. & illis in locis, quę l. 1. part. 2. sect. 5. class. 3. c. 6. q. 1. membro 1. in initio *allegavimus: ita hoc per similia perficitur.* lib. 9. meth. med. cap. 9. & ibid. l. 11. c. 3.

Atqui quomodo quis utriq; Indicationi satisfaciet, hoc est, tum remedia contraria, tam quò ad qualitatem, quàm Qualitatis gradum accommodata exhibebit; tùm similia administrabit? Si corporis naturam satis exploratam non habuerit.

Vide

Vide supra l.1. part.2. sect.5. class. 3.c. 6. quæst.1. membro 3. art.3. in respons. ad object. secundam.

Caput IV.

De Sanitatis natura in genere.

Sanitas quid:

Sanitatem omnium totius hominis, hoc est, singularum ipsius partium viventium, actionum quadam perfectione, à posteriori, cum Methodicis apud Galenũ l. 1. meth. med. c. 7. *vel partium earundem munia consueta, & ad vitam necessaria obeundi potentia ab ipsarum constitutione naturali dependente, occasione desumta è* Galeni l. de morb. differ. c. 2. *à priori definimus.*

Dum per actionũ perfectionem: *non eam, quæ absolutè talis est, neq; imperfectionis aliquid, respectu vel alterius speciei, vel alterius eiusdem speciei Individui, vel denique alterius eiusdem Individui Ætatis, includit, intelligimus.*

Sanitatis latitudo.

Omnes enim & cernimus malè, si cum aquila & lynce comparemur: & confusè oblæseq; audimus, si cum Melampede: & pedibus parum valemus, si cum Iphiclo: & manibus, si cum Milone conferamur. Quovis deniq; membro propè mutili videamur, si cum

si cum iis, qui ipso maximè valent, comparemur. Galen.l.1.de tuend.valetud. cap.5.

Sed illam actionum perfectionem intelligimus: quæ unicuiq; hominis Individuo secundum propriam naturam competit; quæ cuiusq; natura non permittit, ut perfectiores edantur.

Quare Galenus l.c.*rectè scripsit: quòd functionum imbecillitas, absolutè citráque exceptionem loquendo, morbi nota statim non sit: nisi adjiciatur, quæ præter naturam cuiusq; est.*

Dum autem per potentiam, &c. *definivimus: formalem ipsius definitionem attulimus. Quæ priore eò perfectior: quò sanitatis naturam magis exprimit.*

Etenim omnes homines tunc se maximè sanos esse arbitrantur, cùm partium corporis ministerio actiones sibi naturaliter competentes obire possunt: non verò quando easdem ob impedimenta nonnulla actu non obeunt. Gal.l.de morb.differ.c.2. & lib.1. meth.med.c.5. *Nam si ex operationum cessatione de morbo iudicandum: quidni dormientes, in tenebris versantes, otio indulgen-* Formalis ratio.

dulgentes, vinculis ac compedibus vinctos, &c. ægrotare dicemus? Scilicet isti non Facultate læsâ, *sed impeditâ, hoc est, ob* Errorem externum *solùm ab actionibus cõsuetis feriantur.*

Quæ verò Sanitatis definitio à Galeno ll. modò cc. l. 1. de tuenda sanitat. c. 5. l. de differ. sympt. c. 1. & l. 1. meth. med. c. 9. *proponitur, caussalis est: ut dum sanitatem ait esse affectum, affectionem, constitutionem vel dispositionem partium secundũ naturam, ad actiones exercendas idoneam.*

Hæc autem definitio à nostrate formali *in nulla re alia, quàm terminorum dispositione & locatione differt. Nam caussa, quæ in nostrate loco differentiæ; ea in* Galenica *loco generis ponitur.*

Medicæ definitiones cur caussales?

Hic igitur diligenter notandum.

I. Nostram definitionem magis esse Philosophicam: Galeni *magis Medicam. Cùm enim tam Sanitatis, quàm Morbi naturæ & investigatio, & tractatio propterea instituatur, ut posteà Indicationibus cùm in* Methodo Therapeutica, *tùm* Tuendæ Sanitatis *eruendis, usui esse possit: è formali autem Sanitatis definitione nulla*

In-

ndicatio utilis desumi queat; utpote cùm ec ad agendi potentiam vel impotentiam, ed causam earundem in actu constitutam Medicus auxilia sua solùm dirigat: proinle Galenus *sanitatem per naturalem potiùs constitutionem, quàm agendi potentiã lefinire voluit.*

Naturalis enim partium constitutio procima est & continens, ut Medici loquũtur, anitatis causa: quâ salvâ, sanitas salva est: quâ item vitiatâ, sanitas vitiosa evadit.

II. Nomina affectus, affectionis, cõstitutiopis & dispositionis Galeno esse Synonyma. Etsi enim inter ipsa nonnulla sit differentia: tamen cùm de præcepto Platonis, *quod* Gal. passim, puta l. de subfigur. Empir. c. 4. & 6. l. 6. de Administrat. Anatom. c. 3. l. 4. de usu part. c. 13. ibid. l. 6. cap. 12. ibid. l. 11. c. 7. l. 2. de nat. fac. c. 9. l. 1. de aliment fac. c. 1. l. de sympt. diff. cap. 1. l. 2. de diff. febr. c. 6. & 8. l. 1. de loc. aff. c. 6. ibid. l. 4. c. 3. circa finem. lib. 1. de puls. diff. c. 1. ibid. l. 3. c. 1. l. 9. de simpl. med. fac. sub tit. de lapidibus. lib. 3. de compos. med. s. genera c. 2. ibid. lib. 4. cap. 1. l. 1. meth. med. cap. 5. ibid. l. 11.

Ad res potius, quàm verba attendendũ.

c.12. &c. *sedulò inculcat, res potiùs, quàm nomina curare deceat; illis promiscuè usus est.*

III. Affectionis & Dispositionis *nomina non levem & momentaneã quandam impressionem, & præviam quasi pro habitu suscipiendo alterationem denotare:* *sed* firmam & stabilem qualitatem, *adeoq; habitum ipsum.*

Nõ datur Morbus substãtiæ.

IV. Constitutionis *nomine non illã, quæ* substantialis *est, & è materiæ ac formæ substantialis unione resultat, atq; propriam uniuscuiusq; particulæ substantiam constituit, intelligi: sed eam, quæ* accidẽtalis *dicitur, & in* partium Similariũ *quâ Similares & Inorganicæ, commoda Temperie;* Organicarum *verò & Dissimilarium conveniente in Figura, Meatibus & Superficie Conformatione; Numero, Magnitudine; Situ & Connexione: nec non* utrarumq; *Vnitate consistit.*

Cùm enim essentialis illa constitutio indivisibilis *existat, nec citra compositi interitum mutationem ullam admittat; hoc est, vel intendi, vel remitti & minui possit: Sanitas autem, integrâ manente*

cu-

iusq; partis quò ad substantiam essentiâ, arias vicissitudines suscipiat: manifestum uidem evadit, constitutionis nomine accidentalem partium constitutionem solùm intelligendam esse; utpote quæ arias mutationes pati potest.

Vide quæ suprà l.1.part. 2.sect. 5.clas. c.6.quæst.1.membro 1.in Exceptione contra Tertium Notabile *dicta nt. Ea enim huc Quinti Notabilis loco ansferri ut possunt, ita debent.*

ECTIONIS SECUNDÆ.

CAPUT I.

De Facultatum Animæ secundùm Medicos distinctione.

Quanquam Aristoteles, *& cum eo hilosophi ad unum omnes, pro triplici Animæ differẽtia, triplices Animæ facultates nstituerunt; & alias* Vegetabiles, *alias* nimales, *alias* Rationales *appellavert: Medici tamen in* Naturales, Vitales Animales *distinguere maluerunt.*

Cuius distinctionis ratio ex eo dependere idetur: quòd non Philosophorum more in sas Animarum species, & viventium ge- Cur Medici Animę Facultates aliter distin-

V 2 nera;

guant quã Philosophi. *nera; Sed solùm Animæ (quatenus in humano corpore consideratur, & Medicam opem exposcit) facultatum & actionum discrimina inquirere voluerunt.*

Vitalis cur a Naturali distinguatur. Vitalem igitur à Naturali, seu Vegetabili, secreverunt; *quòd ipsam in animantium perfectiorum corporibus Animæ Vegetantis facultatib. (quæ aliâs Plantis tributæ fuerunt) auctarii quasi loco superadditam animadverterunt; partim ex organorũ,* Cordis *videlicet*, Arteriarum & Pulmonum *structura; partim principii Vitalis, hoc est,* Calidi nativi *fugacitate.*

Cur vitalis dicatur. Vitalem *autem nuncupaverunt: quòd per spirituum, ab ipsa elaboratorum, ad reliqua membra influxum* Principium *illud* animantium vivificum, Calidum nativum, *quasi animetur, vegetetur & roboretur. Ita enim videmus, partem illam cui nectaris istius (puta spirituum Vitaliũ) copia & influxus quoquo modo denegatur, livore corripi, emori, & putredine statim inquinari.*

De hâc Vitali facultate ardua inter Auctores agitatur controversia; sitne ipsa cũ

Quæstio. Naturali seu Vegetabili eadem, *hoc est,*

, num ad ipsam reduci possit; vel num t diversa?

Quam controversiam pro instituti nori ratione brevissime sic expedimus.

Quæstio prædicta in sequentes quæstiones resolvi potest. 1. Num Facultas Vitalis *sit facultas Animæ alterius peculiaris; quæ à Vegetante, Sentiente, & Rationali sit diversa? II. Quòd si non sit Facultas alterius alicuius Animæ; ad quã è prædictis reduci possit? III. Si pertineat ad* Animam Vegetantem: *num sit eadem cum* Facultate Naturali, *quæ in Epate radicari dicitur?* Alia. Alia. Alia.

℞. Ad primam, *Negamus; præter tria illa Animarum genera peculiarem aliquam Animam, à reliquis distinctam, ipsis animalibus perfectioribus superaddi: idq́ue 1. propter unanimem* Philosophorum & Medicorum *consensum. 2. propter fugam non necessariæ multiplicationis Entium.* Non datur peculiare Animæ genus præter tria usitata.

Ad secundam. 1. *Negamus;* Vitalem, *vel ad* Sentientem, *vel* Rationalem, *quâ tales, pertinere. Neq́ue enim operatur. 1. cum consilio & deliberatione; sed necessariò.* Vitalis an pertineat ad Sentientem, vel Rationalem.

 2. nec

2. nec cum apprehensione & cognitione obiecti.

Diximus: Vitalem ad Sentientem & Rationalem, quâ tales, non pertinere. *Etsi enim illa ob rationes modò adductas ad has* primò *non pertineat: pertinet tamen ad easdem* secundariò, *quatenus non solùm universum corpus, quod illæ informant, vegetum reddit, atq; in suo vigore conservat: verùm etiam materiam pro organorum ad operationes necessariorum elaboratione suppeditat. Animales enim spiritus è Vitalibus spiritibus in cerebro elaborari: una & communis omnium Medicorum vox est.*

Vitalis ad Vegetantem pertinet.

II. Affirmamus; Vitalem Facultatem ad Animam Vegetantem pertinere. 1. *Quia non datur quartum aliquod præter tria recensita Animarum genus.* 2. *Quia nec ad Sentientem, nec Rationalem reduci potest.* 3. *Quia per modum coctionis operatur.*

Vitalis nõ est eadem cum Naturali.

Ad Tertiam. *Negamus;* Vitalem cũ Facultate Naturali in Epate radicante esse eandem. 1. *propter Sedium.* 2. *Obiectorum.* 3. *effectuum diversitatem.*

Vitalis

Vitalis *enim in Corde;* Naturalis *in* [H]*pate radicatur.* Vitalis *pro obiecto habet* [S]*anguinem;* Naturalis *Chylum, aut huic* [pr]*oportione aliquid respondens.* Vitalis *e*[la]*borat sanguinem arteriosum ac spiritus* [V]*itales;* Naturalis *sanguinem venosum* [&] *spiritus Naturales.*

Quamvis verò Facultas ista in Plan[t]is non eluceat: *fit tamen istud propter* [o]*rganorum absentiam. Ita enim videmus,* [i]*psam quoque Animam Sentientem in omni*[b]*us animalium speciebus omnes operationes* [a]*nimales non exercere; sed in his plures, in* [i]*llis pauciores edere; ob organorum compe*[t]*entium copiam vel inopiam. Atque hæc de* [p]*roposita quæstione.* Vitalis cur non in plantis.

Porrò Facultatis Animalis *nomine non eam solùm, quæ brutis à natura tributa est; sed* vim *quoque* Rationalem *Medici complectuntur: eò, quòd ut huius errata illius vitio oriuntur; ita etiam à Medico illius interventu corriguntur. De qua re iam disserere incipiemus.* Facultas Animalis Medicis quid?

Caput II.

De Animi morbis: An & quid sint.

Zamolxis Thracum Medicorum Rex

Corpus sine Anima non curandum.

ac Deus apud Platonem in Charmide *tradit: quòd quemadmodum oculos sine capite, & caput sine reliquo corpore; ita etiam* corpus sine Anima curare non deceat. *Hanc enim caussam esse, cur Medicos Græcos multi corporum morbi lateant: cùm totum illud ignorent, quod inprimis curare oportet, quoq; malè affecto partem aliquam benè valere impossibile est.* Omnia namque vel bona, vel mala, ab Anima in corpus & totum hominem manare: *indeq; similiter ut è capite in oculos effluere dicit. Illam igitur primùm & maximè curari iubet: si modò caput & universum corpus benè valere debeat.*

Apollo cur cum lyra pictus.

Hanc etiam rationem fuisse suspicatur Joh. Franc. Ulmus l. 2. de occul. in re Medica propriet. c. 12. *quòd veteres Apollinem cum lyra pinxerunt. Vt enim lyra, quæ disparibus & valdè dissimilibus chordis constat, nullum delectabilem sonum aut concentum edit; nisi à perita manu tractetur: ita corpus, quod è contrariis elementis compactum est, si ab Anima malè habente regatur, nihil item aptum ac laudabile præstabit.*

Quæ-

Quæritur igitur; an morbi aliqui Animi dentur? Quæstio.

℞. *Tametsi* Animalis Rationalis ex sua natura est incorporea, *nec inferioris gradus Animarum instar organis corporeis per se eget & utitur, ac propterea Medica ope indigere non videtur: tamen & hanc nonnunquam ex accidente implorare cogitur. Etenim*

1. *Cùm corpus informando moli corporeæ immersa sit, & suis operationibus citra Phantasiæ ministerium vacare non possit:* Aristot. l. 3. de Anima c. 7. t. 30. *isq; qui non sentit, nec discere quicquam, nec intelligere valeat:* Aristot. ibid. c. 8. t. 39. *idcircò prout mediis facultatibus animalibus, ipsa aliâs per se impatibilis, in edendis suis operationibus turbatur; sic iisdem mediantibus ad frugem reducitur.* Anima à corpore aliquid patitur ratione.

Quamobrem dum Phantasiæ *malè habenti Medicus opitulatur, ac vitiis organorum sensuum exteriorum medetur:* Phantasiæ. *ipsi simul* Animæ Rationali per accidens opem fert. *Quippe eo ipso ad theatri mundani considerationem, abstrusorum indagationem, incertorum explanationem,*

 artium

artium bonarum cognitionem, Rerumpub. administrationem, &c. aptam reddit atque idoneam.

Tempera mentorũ.

II. Animi mores ex parte quadam sequuntur temperamentum corporis, ut hoc ipsum peculiari libro de hac re inscripto Galenus nos docuit. *Biliosi enim iracundi & agiles; Pituitosi segnes; Sanguinei mites ac hilares; Melancholici tristes esse solent Quapropter corporis temperamētum vel conservando, vel emendando, ipsi Animo Medicus unà prospicit.*

Affectum.

III. Quid? quòd dum animi affectus *compescere, iram moderari, libidinem coërcere, mærorem temperare docet: animum à vitiis avocat, & ad virtutis studiũ quodammodò componit. Qua de causa* Galenus l. 1. de tuen. sanit. c. 8. *rectè dixit; non ad solum spectare Philosophum animi mores effingere.*

Et certè affectus vehementiores, *quantoperè corpus immutare possint, præter communẽ experientiam historiæ testantur.*

Vide, quæ l. 1. parte 2. s. 3. *de viribus Imaginationis dicta sunt, & cum* hac ipsa se-

ctione

ctione *de Mærore, Amore & Melancholia, tum* infra lib. 3. parte 1. *de Gaudio & Metu nimio dicentur.*

Omnes, inquit ille, *cùm valemus, recta consilia ægrotis damus: ipsi verò dum ægrotamus, aliorum consilia poscimus. Nec immeritò. Præterquam enim quòd Imbecillitas animum ipsum in corporis consensum pertrahere videtur; cupiditatum certè & affectuum vehementia à recta via eos utplurimum abducit, ut vel quid agẽdum sit, non videant, vel se parum rectè videre existiment.* Zvingerus Physiolog. Med. l. 1. cap. 2.

Cur Medici ægrotantes aliorũ consilia poscant.

Affectus *igitur istos non usq; adeò ineptè* Animi morbos *cum* Platone in Timæo *quis appellare queat. Quod ferè etiã innuere videtur* Lucretius l. 3. *quando scribit:*

——————videmus corpus ut ipsum
Suscipere immanes morbos durumq; dolorem:
Sic animum curas acres, luctumq; metumq;.

CAPUT III.

De Morborum Animi Curatione in genere: & Musicæ viribus in specie.

In Corporum morbis ab Animi morbis prove-

provenientibus & cognoſcendis, & abigendis, non levis ſæpè in Medicis requiritur cùm ſolertia, tùm induſtria: ut patebit ex iis, quæ duobus capitibus ſequentib. *proponentur.*

Inſtrumēta curationis morborum Animi.

Quatuor autem potiſſimùm ſunt præſidiorum genera, teſte Joh. Franciſc. Ulmo, loco, quo ſupra; *quibus Medici Animi morbos abigunt:* Victus *ſcilicet*, Medicamenta, Muſica, & Sermonis concinnitas. *Quæ omnia convenienter & opportunè adhibere decet.*

Horum alia corpus; *alia* Animũ *magis reſpiciunt. Illud quidem,* Victus & Medicamenta; *hoc verò* Muſica & Sermonis concinnitas.

De reliquis deinceps quædam dicentur: in præſentia de Muſica *pauca adferemus.*

Muſicæ quanta vis in mutando Animo, & depellendis variis morbis.

Hanc ad Animi affectus cùm ciendos, tùm ſedandos plurimum valere; rectè ſcripſit Ariſt. l. 8. Polit. c. 5. & Macrobius in ſomnium Scipionis l. 2. c. 3. *Etenim*

1. *Saul furibundus cytharæ cantu per Davidem ad mentem revocatus.* l. 1. Reg. c. 16. Joſephus l. 6. Antiquit. c. 9.

2. *Achilles lyrâ iram lenivit.* Homerus Iliad. 1.

3. *Terpander seditionem, quæ Lacedæmonios vexavit, Musica sustulit.* Plutarchus l. de Musica in fine.

4. *Spartani ad tibiæ cantum pugnârũt: ut iis ad numerum incedentibus timidi fortesq; in conspectu essent.* Agesilaus apud Plutarchum in Apophthegmatibus Laconicis.

5. *Alexander à Xenophanto certis modis ad arma concitabatur.* Erasmus lib. 4. Apophthegm.

6. *Vix nati infantuli cantu & modulationibus compescuntur, atq; ad somnum invitantur.* Galenus lib. 1. de tuen. valet. cap. 8.

7. *Dolores in genere cantilenis mitigari ait* Avicenna l. 1. fen. 4. c. 30. in fine.

8. *Ischiacis, cùm maximè dolent, leves tibiarum modulos, commodo esse scribit* Gellius Noct. Attic. l. 4. c. 13.

9. *Viperarum morsibus tibicinem scitè modulateq; adhibitũ mederi,* Theophrastus apud eundem prodidit.

10. *Musicam à Tarantula demorsos sanare gravissimi Auctores tradiderunt. Etsi verò* Cardanus l. 9. de subtilit. mihi p. 636. Musica an demorsos à Tarantula sanet

636. *non Musicâ, sed labore venenum discuti scripserit: nostro tamen iudicio falli videtur.*

Sic enim Matthiolus in com. sup. l. 2. Dioscorid. c. 57. *à Tarantula icti*, inquit, *auditis lyricis instrumentis, vel tibiarum sono, primo statim occursu à languoribus cessant, & in medium tripudiare & saltare incipiunt; tamq; diu rem prosequuntur, ac si sani essent, & nullo unquam tenerentur dolore. Quòd si eveniat, ut tibicines tantillum conquiescant ac interponant; nō multo pòst tempore in terram concidunt, & ad pristinos redeunt languores: nisi tamdiu indeficiente sonitu saliant atq; tripudient, donec veneni virus partim insensibiliter per cutis meatus, partim per sudorem exeat & discutiatur. Ob id igitur tibicines stipendio conducuntur, alternatimq; mutantur, ut absq; ulla sonitus intermissione, tamdiu tripudient demorsi, quousq; penitùs curati quiescant. Interim dum hæc aguntur; sunt, qui eos antidotis corroborent; nimirū Theriacâ, Mithridatio, & aliis, quæ venenosorum morsibus adversantur.* Hactenus Matthiolus.

Equi-

E quibus patet; non labori primariò, sed Musicæ curationem adscribi debere.

II. Thaletam Cretensem, sorte quadã à Pythio edita, adiisse Lacedæmonios, eosq́; Pestilentia utentem ope Musica liberavisse, auctor est Pratinas apud Plutarchum in lib. de Musica prope finem. *Tanta prorsus est affinitas corporibus hominum mentibusq́; & propterea quoq; vitiis aut medelis animorũ & corporum.* A. Gellius loco allegato.

Caput IV.

De Morbis, ex Amore & Mœrore ortis, cognoscendis.

Ad Corporum morbos, ex Animi morbis oriundos, cùm cognoscẽdos, tũm abigendos, magnam sæpè in Medicis requiri & solertiam, & industriam, sub initium capitis præcedentis *dictum fuit.*

Id autem Amor *cumprimis &* Mœror *testatum faciunt.*

De *Amore* hæc apud Auctores legimus exempla.

I. Perdiccam Macedonum Regem, (cujus supra l. 1. parte 1. sect. 4. c. 4. meminimus) *ab aliis pro tabido falsò habitum,* Perdicca ex Amore decubuit.

ex

ex Amore erga Phylam, parentis sui Alexandri demortui pellicem, graviter decumbere, mirâ quadam industriâ Hippocrates *deprehendit.*

Antioch⁹. *II. Novercam à Privigno, hoc est,* Stratonicen ab Antiocho *amari; hũcque præ amore molestissimè affligi animadvertit* Erasistratus *Medicus maximus, imò Medicorum veterum nobilissimus;* quemadmodum nominatur à Plinio l.14.c.7.& Macrobio lib.7.Saturnal. cap.15.

Historia de Antiocho. *Rem hanc sic descripsit* Valerius Maximus l.5.c.7. *Seleuci Regis filius Antiochus novercæ* Stratonices *infinito amore correptus, memor quàm improbis facibus arderet, impium pectoris vulnus piâ dissimulatione contegebat. Itaq; diversi affectus iisdem visceribus ac medullis inclusi, summa cupiditas, & maxima verecundia, ad ultimam tabem corpus eius redegerunt. Iacebat* ipse *in lectulo moribundo similis: lamentabantur* necessarii : pater *mærore prostratus, de obitu unici filii, deq; sua miserrima orbitate cogitabat:* totius domus *funebris magis, quàm regius erat vultus.*

Sed

Sed hanc tristitiæ nubem Leptinis Mathematici, *vel, ut quidam tradunt*, Erasistrati Medici *providentia discussit. Iuxta enim* Antiochum *sedens, ut eum* ad introitum Stratonices rubore perfundi, ac spiritu increbrescere, eaque egrediente pallere, & excitatiorem anhelitum subinde recuperare *animadvertit: curiosiore observatione ad ipsam veritatem penetravit. Intrante enim* Stratonice, *& rursus abeunte, brachium adolescentis dissimulanter apprehendendo, modò vegetiore, modò languidiore pulsu venarũ comperit, cuius morbi æger esset. Grave hoc putavit enunciare & detegere:* subdit Plutarchus in Demetrio. *Attamen indulgentia fretus in filium* Seleuci, *tentavit ei aliquando aperire;* amore adolescẽtem affligi, *sed deplorato amore incurabiliq́. Obstupefacto & rogante Rege, quẽadmodum incurabili: quia herclè*, inquit Erasistratus, *meam amat uxorem. Et tu*, infit Seleucus, *Erasistrate, qui amicus noster es, negas hasce filio meo nuptias: qui unum hunc cernis rerum nostrarum sacrã ancoram esse? Ne tu quidem*, inquit ille,

id facias, pater: si Stratonicen Antiochus adamaret. *Utinam verò,* inquit, *amice, Deus aliquis vel homo eò traducat morbum! Nam equidem vel regnum, modò retineam Antiochum, cupiam dimittere. Ita commotè* Seleuco *multis cum lachrymis fato dexterã* Erasistratus *injiciens, nihil eum Erasistrato ait indigere. Nã cùm pater, vir & Rex esset, ipsum simul Medicum domus suæ optimum futurum.* Seleucus *igitur* charissimâ sibi conjuge filio cedere non dubitavit. *Quòd in amorem incidisset, fortunæ acceptum referens: quòd dissimulare eum usq; ad mortem paratus esset, ipsius pudori imputans.*

Justi uxor. *III.* Justi uxorem *amare* Pyladem, *ex arteriarum, ad nomen solius amati, non verò ullius alicuius alterius, auditum, miris modis subsultantium contactu cognovit* Galenus, ut de se testatur l. de Præcogn. ad Posthumum c. 6.

Divitis servus è metu contabuit. *Simili industriâ divitis cuiusdam servum præ metu, quòd eorum, quæ administraverat, rationem pro dignitate reddere non posset, contabescere* deprehendit Galenus: ut ibidem scribit.

Ca-

CAPUT V.

De Melancholicorum per dolos singulares restitutione.

Quâ nonnunquam arte & technis Medici Melancholicos ad sanam mentem reducere cogantur: Medicarum observationum libri luculentissimè testantur. Nam

I. *A Philodoto quendam, qui caput sibi amputatum esse opinabatur, plumbeo pileo capiti imposito sanatum*, testis est Trallianus l. 1. c. 17. *Eodem artificio alium etiam ab Æmilio Alcmariensium Medico restitutum*, scribit Forestus l. 10. obs. 12. in scholio. Melancholici putantes se carere capite.

II. *Mulierem, quæ serpentem; Viros, qui viperas; alios, qui ranas ac rubetas in ventre se habere putabant, medicamento purgante exhibito, & in subiectam pelvim, alvi purgamentis capiendis destinatam, similibus animalibus clam impositis, alii persanârunt*. Trallianus & Forestus ibid. Lemnius l. 2. de complex. c. 6. Gatinaria in praxi Medica c. 16. & Manlius in libello Medico p. 30. Habere serpentes; veperas, ranas, ac rubetas.

Alius, qui se clavum oblongum è pariete evulsum, mortis sibi præ impatientia con- It. clavos in ventre.

sciscendæ gratia, deglutivisse conquerebatur; clavo excrementis alvi, illi, quem describebat, simili iniecto Anno 1610. Mense Octobri, me medente, *restitutus.*

Nasum oblongũ.

III. Alium, cui persuasum erat, nasum in tãtam molem sibi increvisse, ut Elephantis proboscida referre videretur, quæ nunquam non sibi impedimento esset, ac patinis etiam innataret: quidam longanone bovis sanguinis pleno, in somno naribus aptato, & à somno arreptâ novacula discisso longanone, & sanguine in faciem ægrotantis expresso, ut Heurnius l. 3. prax. General. c. 28. *vel nonnulla carnis parte prehensâ,* ut Lemnius recenset, *ab imaginario naso liberavit.*

Flammis aduri.

IV. Alium, qui se flammis aduri conquerebatur, positis clam sub lecto ignibus, iisdemq; cum strepitu & clamore ablatis, restitutum tradit Augerius Ferrerius l. 2. meth. med. c. 11.

Mortuos.

V. Alium; qui se mortuum imaginabatur, & propterea omnem cibum aversabatur, cognatos septimo tandem die mira industriâ ex ipso mortis discrimine eripuisse, ibidem monet Lemnius. *Quippe*

histrio-

histriones quidam personati, linteo fasciisq; more demortuorum revincti, in conclave, arte & de industria obscuratum, ingressi sunt: qui mensa lauto ferculorum apparatu instructa, liberaliùs ac largiùs cibo potuq; se refecerunt. Æger *itaq; his visis, quid agãt, quodve hominum genus sint, quæsivit?* Responderunt: *se mortuos esse.* Tum is: *mortuine edunt?* Illi; *maximè. Quin si libeat accumbere, rem ita esse extemplo comperturum. Quibus auditis, æger confestim è lecto exsiliit, & cum personatis mortuis lautiùs epulatus, cœna peracta, somno ob esum condimenti, in hunc finem peculiariter præparati, quamprimum obrutus; atque ita è morte sibi iam iam impendẽte ereptus fuit.*

Somnus enim Melancholicis magnoperè confert: asseverante Lemnio l. c. & Foresto loco, quo supra obs. 15. *Quibus adstipulatur Experientia & Ratio.* Somnus Melancholicis optimus.

Quippe animi ægritudines oblıterat, & rationem vitiatam corrigit. Ægineta l. 1. cap. 97.

Manlius in libello Medico p. 29. *aliud exemplum, Lipsiæ aliquando observatum, proponit.*

Proponit aliud Holler. l. 1. de morb. intern. c. 17. in scholio: *aliud item* auctor Sphingis Philosophicæ c. 34.

Melancholicus quidā urinam reddere noluit.

VI. Senensis quidam adduci non potuit, ut urinam redderet. Metuit enim, ne urinâ profusâ urbs tota periret. *Campanarum igitur pulsu, ac simulato urbis incēdio, vix tandem multis accurrentium precibus persuasus fuit, ut urinam redderet. Fore enim dixerunt; ut incēdiū urina ipsius extingueretur. Vrina ergò reddita, quamprimū à falsa ista persuasione liberatus fuit.* Mar. Don. l. 2. de hist. Med. mirab. c. 1.

Caput VI.

Uter morbus, Animine, vel Corporis gravior sit?

Plutarchus peculiari libello huic quæstioni destinato *in hanc rem inquirit, ac concludit:* Animi morbos graviores exsistere.

Animi morbi graviores, quam corporis.

I. Quòd ægrotantes ita fallant, ut ab ipsis non sentiantur: quoniam eam partem occupant, cuius est iudicare.

II. Quòd multi non pro morbis, sed virtutibus habeantur: utpote iracundia pro fortitudine, amor pro amicitia, invidia pro

æmu-

æmulatione, timiditas pro diligētia, quâ res in tuto collocentur, &c.

III. Quòd ægri curationem non admittant: partim, quia se ægrotare non credunt; partim, quia rectè monentium præceptis non obtemperant. NB.

Atqui ſanitatis initium *eſt*; ſi, *qui laborat*, remedio ſibi opus eſſe ſentiat: *ut mortis propinquæ ſignum, ſi æger morbi vi victus morbū ampliùs non deprehendat.*

Cumq; Animi morbi quiete ſint compeſcendi: *ægri tum maximè ſunt in negotio, adeoq; omnium minimè otioſi; pro Animi tamen morborum vehementiâ, aut lenitate, nunc magis, nunc minus. Vnde morbus incrementum ſumit &c.* Animi morbi quiete compeſcūtur.

SECTIONIS TERTIÆ CAPUT I.

An Medicus, ſi fine ſuo fruſtretur, culpandus?

Etſi Medicus *ſpe ſua nonnunquam fruſtretur, nec prout vel Ipſe, vel Æger optabat, ſanitatem procurare ſemper valeat: attamen* communem omnium artificum ſortem *tunc* experitur; *quos nemo ſanus vituperat, ſi quandoq; ob peculiaria impe-* Medicus propter finis fruſtrationē non culpandus.

dimenta finem suũ assequi non possint. Nam

I. Quis Nautam, *suæ Artis aliàs peritissimum, facilè culpet; si aliquando tempestatum violentiâ victus navem pro animi sui sententiâ regere nequeat?*

II. Quis Agricolam *imperitiæ arguat, si fruges iam maturescentes inopinata grandinum copia opprimat & devastet? cùm interim* ille *ventis & æquoribus in magnum nostrum emolumentum utatur: &* hic *terram, alioqui sterilem, fœcundam earum rerum faciat, à quibus in vita conservamur.* Nicolaus Biesius in Pręfat. Comm. sup. Art. part. Galeni.

III. Quis belli Ducem, *qui aliàs frequentissimè victor evasit, accuset; si aliquando copiis fortioribus vel cedat, vel etiã in pugna succumbat?*

Ita etiam si morbi quidam insolentiores oboriantur, qui nullâ Medici industria vinci & domari queant: num Medicinam *damnabimus, quam plurimis proficuam fuisse deprehendimus?*

Memores potiùs nos esse decet illius Hippocratis lib. 1. Prognost. t. 3. *quòd omnes ægrotantes sanitati restituere sit impossibi-*

ssibile. *Et* Ovidio lib. 1. de Ponto ad
Ruffinum auctore:

In Medico non sit, semper relevetur ut æger:
Quandoquidem
Interdum doctâ plus valet Arte malum.

Neq; Medicina morbos insanabiles vincat, Seneca Epist. 95. ad Lucilium.

Quare si Medicus ex Artis suæ præscripto convenienter curet: munere suo ritè perfungitur; quicunq; etiam eventus curationem excipiat. Vt enim Rhetor *non semper persuadet: sic nec* Medicus *semper sanat.* Aristot. l. 1. Topic. c. 3. *Sed si uterq; nihil eorum, quæ fieri convenit, prætermittat: peritos & Artifices iudicamus.* Aristotel. ibidem.

Vnde etiam Plato l. 9. de legibus: *quivis,* inquit, *Medicus, si, qui curatur, ipso invito moritur, purus sit secundùm legem. Mortalitatis enim eventus Medico non est imputandus.* l. illic. § sicuti, ad l. Aquil.

Quam ob caussam prudenter scripsit Cicero l. 2. de Nat. Deorum: *ægri quia non omnes convalescunt; non idcircò nulla Medicina est.* *Et* Seneca Epist. 95. ad Lucilium: *nō ideo nihil sanat Medicina; quia non omnia.*

Natura ob finis frustrationem non culpanda.

Quòd si ob finis frustrationem artifex statim culpandus, & peritiæ ipsius aliquid detrahendum: profectò tunc nec ipsa quidē Natura *verus artifex videretur. Quippe impedita à suo fine nonnunquam aberrat: veluti cùm aut monstra componit, aut defecta edit corpora,* Scal. l. 1. Poëtices c. 1. Bruno Seidelius de morb. incurabil. pag. 110.

Caput II.

De Medici finis frustratione propter Morbum.

Medicum, etsi fine suo quandoq; frustretur, non esse culpandum, capite præcedente *monstravimus. Ordinis igitur requirit ratio; ut nonnulla de caussis, propter quas fine suo potiri nequit, proponamus.*

Medici finis frustrationis caussæ.

Caussæ autem hæ sunt. 1. Morbus. 2. Æger. 3. Adstantes. 4. Exteriora 5. Medicus.

De Morbo *in* præsenti; *de reliquis in* posterioribus capitib. *paucissimis disseremus.*

Morbus perniciosus vel ratione

Morbi *autem* ratione fine suo defraudatur Medicus: *quatenus is, vel gratia* propriæ essentiæ; *vel* κακοηθείας; *vel*

[pa]rtis principis, *tam pertinax est & per[vic]iosus, ut nullâ Medici industriâ superari [qu]eat.*

Propriæ essentiæ

Ratione propriæ essentię *interdum [cu]rari nequeunt Febres ardentes, & è Con[tin]uis aliæ; quin & quandoque ex Intermit[te]ntibus nonnullæ. Simpliciter curari ne[qu]it torridus Marasmus, Oculi, Cruris, [B]rachii, Linguæ, &c. defectus.*

Historia.

Quanquam verò Jacobus Horstius [M]edicinę olim Professor Helmsta[d]iensis *observaverit; puero cuidam septē[n]i linguam, quæ ipsi propter variolas ad ra[d]icem usque absumta fuit, intra triennium [a]d iustam magnitudinem vicissim incre[v]isse: res tamē hæc miraculosè veriùs, quàm [n]aturaliter accidisse videtur.*

Ad eandem classem morbos nonnul[l]os hæreditarios *referre licet: qui è semi[n]ibus nati sunt, in quibus validæ & con[s]tantes tincturæ viguerunt: ut loquamur cum* Petro Severino in Idea Medic. Philos. c.12. mihi p.220.

Mali moris.

Ratione κακοηθείας *nonnunquam morbi curationem respuunt: quatenus* τὸ θεῖον, *cu[j]us meminit* Hippocrates lib.1. Progn. t.4.

Divinum in morbis quid?

t. 4. *ipsis coniungitur. De quo* Divino *et cùm e Veteribus, tùm Recentioribus alii aliter sentiant: nobis tamen præ aliis* Valleriolæ l. 4. Enarr. Medic. 7. & lib. 3. loc com. c. 3. *placet opinio; qui* Divini *nomine nihil aliud præter adversariam, sublimem, admirabilem, cæcam, abditam & deleteriam quandam vim, nobis prorsus ignotam, penitus inexplicabilem, ac soli Deo essentiæ illorum Auctori ac Conditori* (sunt verba Alexandri Aphrodisei in initio problematum) *cognitam, eiusq́; consilio arcano morbis insertam, intelligi putat.*

Hûc pertinent morbi omnes venenati, tàm publici, quàm privati, hoc est, tam Epidemici *&* Endemici, *quàm* Sporadici, *&* per veneficia illati.

Partis Principis.

Ratione partis principis *incurabilis exsistit Hydrops confirmatus cum viscerum corruptione; Phthisis perfecta cum insigni Pulmonis ulcere: Vulnera Cordis, Cerebri, &c. Hinc rectè* Ovid. l. 1. de Ponto ad Ruffinum.

> Adferat ille licet sacras Epidaurius herbas:
> Sanabit nullâ vulnera Cordis ope.

Quod Galenus *etiam comprobat* l.

de

opt. Secta ad Thrasybul. c. 4. & lib. subfigurat. Empir. c. 6.

Ergo quamvis nonnulli Corde superficialiter vulnerato non solùm ea ipsa die, qua vulnerati fuerunt; sed & aliquandiu post vivere potuerint: Galen. l. 5. de loc. affect. c. 2. Thomas à Vega hoc loco in com. Fernelius l. 5. Patholog. c. 12. Brasavolus & Jacotius apud Schenkium l. 2. obs. 208. *alii abscessibus in corde exsistentibus satis diu superstites fuerint*: Fernelius ibidem, Hollerius libr. 1. de morb. intern. c. 29. in scholiis, Benivenius de abd. sanat. caus. c. 89. Realdus Columbus l. 15. Anat. Laurentius Joubertus in com. 121. sup. Chirurg. Guidonis de Gauliaco, Nicolaus Massa & Matt. Cornax apud Schenckium l. 2. obs. 202. Franc. Rota, Joh. Bauhinus, Trincavellius ibid. obser. 205. 206. & 207. *Casimiri Marchionis Cor instar pyri tosti inventum sit*; Melanthon libr. de Anima, sub tit. Capsula Cordis: *imò, quod quispiam iure admiretur, illustris cuiusdam civis Romani, è diuturno morbo exstincti cadaver de corde* *præter*

Vulnera Cordis an lethalia.

Historia.

præter solam tunicam investientem ni-
reliquum habuerit, &c. Bernardinu
Telesius l. 5. de rer. nat. c. 28. *tamen*
omnes è malo isto perierunt.

Quippe verum est Aristotelis illud
3. de part. animal. c. 4. & ibid. l. 4. c.
cor nullum grave vitium pati posse: eaten
scilicet, ut ex eo æger penitùs convalescat, n
que ob id mortem oppetere cogatur.

Vulnera Cerebri an lethalia?

Deinde etsi Smyrnæ in Ionia adolescen
vulnere in alterum anteriorum ventricu
lorum accepto superstes manserit: Galen
l. 8. de usu partium c. 10. l. 6. aph. com
18. *aliiq́; Cerebro non solùm vulnerato;* Jo
han. Andreas à Cruce l. 2. Chirurgi
Germanicæ c. 16. Felix Wirth Chi
rurgię suæ c. 8. p. 184. *verùm etiam par*
te ipsius maiore minoreve deperditâ serva
ti sint; Hugo apud Theodoricum
Chirurgiæ l. 2. c. 2. Parçus l. 9. cap. 22
Franc. Arcæus l. 1. de vulneribus c. 6
Guiliel. Fabricius Centuria 1. obser
Chirurg. 13. Jacotius, Brasavolus, Ni
colaus Massa, Fallopius, Christopho
rus à Vega, Gemma apud Schenckiu
l. 1. obser. 67. *exempla tamen ista ex eo*
sun

sint genere, quæ rarò nec identidem eveni-unt; Galenus l. de Subfigur. Empir. c. [illegible]. & l. 6. aph. com. 18. *& ubi ægri Dei potiùs voluntate,* Galenus l. 8. de usu partium c. 10. *quàm humana ope convalescũt; privati nihilominus post curationem uno vel pluribus plerumq; sensibus.*

Unde patet Hippocratis aphorismũ, *qui est in* Sectione sexta decimus octavus, *adhuc salvum esse: quatenus de iis, quæ ut plurimũ fieri consueverunt, intelligitur.*

Interim illa ipsa exempla in spem quandam non Medicum tantùm, sed & ægrotũ erigere possunt: ut etiam in dubia re secundum Celsi præceptum l. 2. c. 10. *satius esse existiment, anceps auxilium experiri, quàm nullum.*

Quòd si eventus pro voto non succedat, atq; æger moriatur: arte suâ se soletur; quòd nihil eorum, quæ ex arte fieri debebant, omiserit.

Vide, quæ infrà l. 3. parte 2. *de morbis incurabilibus dicentur.*

❧§(*)§❧

CAPUT III.

De Medici finis frustratione propter Ægrotum.

Ægroti ratione *multipliciter Medic[um] fine suo frustrari contingit. Nam*

Ægrorũ cunctatio *I. Differunt communiter & cunctan[tur], atq; ubi iam à morbis ipsis apprehen[si] sunt, tum demum curari cupiunt:* Hippocrates l. de Arte tit. 20. dist. Cornarii *obliti salubris consilii* Ovidiani lib. 1. de Remedio Amoris; *quod tale est:*

Principiis obsta: serò Medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluêre moras.

Morositas. *II. Nonnunquam ægroti tam moros[i] & pertinaces, ut mori potius, quàm remedi[a] salutaria admittere velint.*

Mollities. *III. Non rarò ægri quidem abhorren[t] mortem: palato tamen suo blandiment[a] quærunt, & ea, quæ ad sanitatem promovendam magis sunt idonea, ob leviculam plerunq; insuavitatem fastidiunt: ignar[i] interea, quòd quantò illa palato videntur gratiora; tantò ad morbum vel fovendum solummodò, vel etiam intendendum sin[t] accommodatiora. De qua re iam olim conquestum fuisse* Hippocratem, è libr. de Arte. t. 12. dist. Cornarii, *abundè liquet:*

Hi igitur ægri si moriantur: numquid non iustas 1. negligentiæ. 2. morositatis. 3. mollitiei suæ pœnas luent, ac sorte suâ, non verò Medici culpâ, peribunt?

Etenim cùm Ars ex his tribus, Morbo, Ægro & Medico constet: *Ægri id munus est, ut Medico sese associet, & coniunctis quasi copiis cum ipso adversùs morbum depugnet.* Hippocrates l. 1. Epid. sect. 2. t. 51.

Ars è quibus constet.

Quòd si is à Medico *deficiat, & quæ* Morbus *suadet potiùs, quàm quæ Medicus, exsequatur; duplici nomine in Medicũ iniurius evadit:* uno *quidem, quòd solum relinquat;* altero *autem, quòd Morbo sese adiungendo, loco unius geminum hostem, cum quo Medico deinceps decertandum sit, producat.* Galenus ibidem in com.

Æger si Medici monitis non obtemperet, quid fiat?

Vnde pro lubitu quidem suo quævis faciendo, morbum augebit: mandata verò Medici spernendo, Medicum prodet. Bruno Seidelius de morb. Incurab. p. 71.

Tunc autem Medico relicto ad morbi imperata æger sese accommodat: cùm præter illius severum edictum E.g. ob febris nimium ardorem frigidam bibit, lavat, aut similia perpetrat.

Historia. *De Hephæstione febricitante apud* Plutarchum in Alexandro *legimus : quòd cùm ætate integra & militari consuetudine cibum per abstinētiam subductum ferre nequiret*, & Glaucus Medicus *in Theatro aliquando absens esset, in prandio gallū assatum absumpserit, ingentem vini craterem ebiberit, morboq́ invalescente paucis pòst diebus mortuus sit.*

Alia. Celsus l.3.c.21.auctor est, *non ignobilem Medicum Chrysippi discipulum, apud* Antigonum Regem, *amicum quendā, (cuius noverat intemperantiam) Hydrope mediocriter implicitum, negavisse sanari posse. Cumq́ alter Medicus* Epirotes Philippus *se sanaturum polliceretur, respondisse:* illum ad morbum ęgri respicere, se ad animum. *Neq́ eùm res fefellit. Ille enim cùm summa diligentia non Medici tantummodò, sed etiam Regis custodiretur: tamen malagmata sua devorando, bibendoq́ suam urinam, in exitium se præcipitavit.*

Si æger Medici monitis obtemperet, quid fiat? *Ex adverso* si Æger Medico sese adjungat, *ipsiq́ contra Morbum suppetias ferat: duobus hominibus contra unū Morbum*

um pugnantibus futuræ victoriæ maxima spes adest. Galenus libr. 6. Epidem. com. 4. t. 9.

IV. Sæpe & ideò Medicum fine suo frustrari contingit: quòd ægrorum vires *ob morbi violentiam aut virulentiam adeò* prostratæ sint atq; exhaustę, *ut nulla ope Medica refocillari, atq; erigi iterum possint.* Virium debilitas.

V. Nonnunquam illud etiam observare licet, ut ægri curæ, secundùm veram medendi methodum *instituendæ, pertæsi, contra oraculũ (ita enim appellatur à* Galeno l. 4. de tuen. valet. c. 5.) *Hippocraticum* l. 1. aph. 22. *crudâ adhuc existente materia, nec corporibus fluxilibus redditis, secundum præceptum* Hippocratis lib. 2. aphor. 9 *medicamento purgante humores noxios, in corporibus consistentes, protinus duci postulent. Quibus si vel innitus obsecundet Medicus, spe certè & fine suo, non quidem sui ratione, sed ægrorum importunitate, privatur. Quippe nec humoribus præparatis, nec meatibus corporis, per quos medicamentorum purgantium vi humores trahi ducíq; debent, reseratis, purgatio non*

sine molestia fieri potest. *Vide supra* parte hac 2. sect. 1. c. 3. sub rat. 2. de Purgantibus.

Rusticitas.

Scitissimè Plato l. 3. de Republ. *talium importunitatem & rusticitatem depinxit: dum, si quando,* inquit, *faber in morbum incidit, brevem à Medico curationem exigit, vel per vomitum, vel ventris defluxum, vel ustionem, vel incisionem. Si quis autem diuturnam illi victus observationē præcipit, capitisq́; suffarcinationes, cæteraq́; huiusmodi: statim objicit,* non esse sibi ad ęgrotandum ocium, neq; præstare sibi, ita vitam trahere continuis curationibus incumbenti, suumq́; opificium negligenti.

VI. Quin & illud frequentissimè usu venire videas; ut ægri omnia remedia per os haurienda *non solùm reformidēt, sed ne admittant quidem: verùm per* localia *saltem restitui cupiant. Quorum duæ videntur esse classes. Alii enim purgari cupiunt: Alii renuunt.*

Inunctiones purgātes non semper cōducūt, & cur?

Illos *primo loco quod attinet: quamvis per inunctiones in abdomine factas corpora purgari posse non diffiteamur: in omnibus tamen*

men corporibus res æquè feliciter non ſuc- *dit; cùm* ob cauſſas paullò antè alla- s, *tùm quòd medicamenti vis undiquaq; bi ubi ſcilicet noxii humoris pars aliqua tit at) ſeſe diffundere nequit; partim* pro- ter locum, *cui inungitur*, aliquantò emotiorem; *partim* partis calorem, *quo medicamentum in actum deduci de- et*, imbecilliorem.

Deinde qui purgationes reſpuunt; *lli vel repellentibus; vel digerentibus; vel nodynis; vel aliis facultatibus præditis medicamentis (prout videlicet ex hoc, vel illo malo laboraverint) ſanari rogitant.*

Qui quidem prioribus *tantò ſunt de- teriores; quantò Medicum à* legitima cu randi ratione *longiùs ſecedere*, univerſa- lia *negligere*, *&* particularium *uſui tan- tummodò inſiſtere volunt. Qui quàm craſ- ſum errorem errent*, Socrates apud Pla- tonem in Charmide dudum patefe- cit, *quando inquit. Audiviſti fortaſſe, mi* Charmides, *à peritis Medicis; cùm quis ab illis adversùs oculorum dolores quærit remedia; fieri non poſſe, ut ſoli ſanentur, ſed neceſſe eſſe, ut univerſo capiti medela*

Univerſa- lia in mor borum curatione nõ negli- genda.

adhibeatur, si oculis commodum aliquod inde obvenire debeat. Imò magnæ esse dementiæ si quis arbitretur, posse curari caput sine universo corpore. Idcircò præceptorum quorundam præscripto ad universi corporis curationem Medici sese convertunt, & cum toto partem conantur sanare, atq; illis simul medicamenta adhibere. Hæc Socrates.

Ægri pri⁹ multa experimẽta usurpant.

VII. Tritissimum & hoc esse solet, ut ægri, priusquam Medicos consulant, vel ipsi sua, vel aliorum(agyrtarum *scilicet*, magorum, judæorum, *& similium) experimenta usurpent. Quando autem res malè successit, atq; adeò malum deterius, ac sæpè tantum non planè desperatum evasit, tandem* Medicus *consulitur, nec de attentatis antea experimentis certior redditur.*

VIII. Aliquando, præsertim in morbis chronicis, *evenit, ut ægri priorẽ Medicum, cuius opera & sedulitate res in tuto iam esse cæpit, dimittant, & alium, vel* imperitissimum homuncionem, *conducant, eiq; soli, si evadant, sanationis laudem adscribant: si verò huius errore demũ succumbant, caussa tamen omnis in priorem*

Medi-

Medicum transferatur. Bruno Seidelius de morb. Incurab. p. 75.

IX. Tandem nec illud infrequens est, ut ægri clam Medicum præsentem alium insuper conducant; & huius monita sequantur, illius aspernentur: ita tamẽ, ne prior Medicus id facilè olfaciat. Hinc remedia ab illo præscripta in pharmacopolio quidem parari jubent: domum tamen lata aliquò vel abscondunt, vel abjiciunt; *ac nihilominus à se usurpata Medico persuadere non erubescunt. Quo fit, ut sæpe isto per* anticam *ædium partem ingrediente, alter per* posticam *clàm quasi aufugiat.* Fraus ægrorum

Verùm an istud virum bonum, qualem Hippocrates in Juramento *vult esse Medicum, deceat: ipsi, qui tale quid perpetrare non verentur, videant. Perpendant iidem & illud vulgatum*: quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. *Cogitent etiam illa, quæ* deinceps parte 3. s. 2. c. 7. *de Pseudo-Medicis cùm ex* Hippocrate, *tùm* Galeno *adferentur.*

§(*)§

CA-

Caput IV.

De Medici finis frustratione propter Adstantes & Exteriora.

Non minùs atq́; Morbus *&* Ægrotus, *ipsi etiã* Adstantes *Medico obesse possunt: quò minùs suo fine potiatur. Nam*

Adstantes ægrum Medico inobediẽtem faciunt.

I. Cùm isti ægrum satis aliàs morosum sedulò hortari debeant, ut Medici monita salutaria omni conatu sequatur: *tunc ipsi, nescio qua, de morbi cognitione (si Diis placet) stultâ persuasione adducti, ac futili metu alterius periculi (ægro è remerum, quantumvis ex Arte à Medico præscriptorum, usu oriundi) persuasi;* ægrum Medici dictis minùs audientem *suis quibusdam ineptissimis murmurillis efficiunt.*

Sua experimenta obtrudũt.

II. Imò eò audaciæ sæpiusculè deveniunt, ut symptomatum similitudine delusi, non tantùm de affectu perperam pronuncient; verùm etiam remediorum, quæ jactitant, successus periculum in ægro vel clam ipso Medico, vel saltem inuito, & importunitatibus ipsorũ diutiùs resistere nequeunte, faciant. Tidicæus de abusu Medic. pag.103.

III.

III. Interdum etiam in Diætæ ad-[m]inistratione *à Medici præscriptis fece-[r]int, & optimè cum ægro agi arbitrantur, nulla habita ratione morbi & ipsius tem-[po]rum, strenuè, & vel cum fastidio etiam, [d]at; contrà quàm*

Ægro. pleniore victu molesti sunt.

1. *A Medicinæ proceribus, inprimis ve-[ro]* Hippocrate l. 1. aphor. 7. 8. 10. & 11. [it]em in libro de victu in morbis acu-[ti]s, & Galeno his locis in com. *præce-[p]tum legimus.*

2. *Hi non advertunt, pauperiores lon-[g]è faciliùs à multis, iisq; gravibus morbis [so]la* abstinentia *liberari: eò, quòd Natu-[r]a alimentorum coctione non districta soli [m]orbo & caussæ morbificæ debellandæ va-[c]are possit.* Tidicæus ibid. p. 101.

Abstinentia multi morbi curantur.

3. *Adde quòd in nostra hac* Germa-nia *vix unquam æger aliquis fame intere-[a]t: cùm tamen non rarò à cibo intempesti-viùs oblato plurimis maius sanitatis & suf-focationis periculum oboriatur.* Kirste-nius de vero usu & abusu Medicinæ tract. 2. c. 3.

4. *Cùm enim* calor nativus, *cuius est morbum vincere, & alimenta concoquere,*

Plenioris victus a-

pud ęgros incommoda. *vi morbi aut eiusdem diuturnitate plurimùm ſit fractus, ut vix uni operi ſatis eſſe poſſit: alimento certè minùs tempeſtivè exhibito non ſolùm ab altero munere avocatur; verùm etiam pœnè ſuffocatur, præſertim ſi copioſiùs, aut frequentiùs alimentum aſſumere cogatur.*

5. *Quid? quòd hoc ipſo nova ſubinde morbi ſeges procreatur.* Calor *enim* nativus *imbecillior exiſtens cibos oblatos, ſua etiam natura aliàs digeſtionis facilis, rite conficere nequit; ſed in illaudabiles ſuccos convertit.*

Argumento eſſe poſſunt convaleſcentes. *De his enim ita* ſcribit Hippocrates l. 4. aph. 45. *quibus tubercula ad articulos, vel labores poſt febres fiunt; ii cibariis pluribus utuntur.* Calor *quippe* nativus *morbo præcedente attritus, cibos largiùs comeſtos probè concoquere non poteſt; ſed novam* cacochymiam *neceſſariò producit.*

Neque obſtat Hippocratis aphoriſmus: *qui eſt* in Sectione prima quintus. *Etſi enim ibi* Hippocrates *dicat, ægros* in tenui victu *delinquere, eò, quòd o-*

mni

omnis error, qui in victu committitur, gravior sit in tenui *quàm* paullò pleniore: *tamen sciendum;* Hippocratem *non absolutè pronũciâsse,* tenuem victum paullò pleniore esse periculosiorem, *sed solùm* maximâ ex parte. *Aliàs enim sibi cõtrarius fuisset.*

Periculosior autem evadit tenuis victus *non sui, sed utentium ratione.*

Tenuis victus cur paullò pleniore periculosior?

1. *Si imperato* victu tenui, *ipsi ægri illàm paullò pleniore utantur. Quod quàm perniciosum, anteà dictum est.*

2. *Si concesso* paullò pleniore; *ipsi tenuem eligant. Ita enim virtutẽ debilitant, ut circa statum morbo expugnando non sufficiat.*

3. *Si* tenui victu *utentes vigiliis diuturnis, doloribus intensioribus, animi affectibus gravioribus, evacuationibus largioribus &c. affligi incipiant: quibus omnib. virtus dejicitur.*

4. *Si* susq; deq; habitâ temperaturę, & habitus cujusq; corporis ratione *victus tenuis præscribatur. Omnes enim eundem victum tenuem sustinere nequeũt. Ita* Michaël Gavassetius l. de Indicationi-

Omnes eundem victum tenuem non ferunt.

tionibus Curativis c.72. *scribit, non alios tantùm Medicos aliis, sed & se Polono cuidam* pro victu tenui pullam *(uti loquitur)* gallinaceam totam *concedere coactum fuisse; cùm hi dum sani essent, non minus quàm sex libras carnis solidioris comederint.*

5. *Si* à tenui ad paullò pleniorem *subitò deinceps transeundum sit. Vires enim per tenuem victum antea nonnihil deperditæ; huic ferendo idoneæ non erunt. Ad hunc enim maiores requiruntur.*

6. *Si* morbi pravi *sint* moris: *virtus tenui victu dissolvitur, ut materiam morbificam vincere nequeat.* Burdus apud Viscerum in com. sup. l. 1. aph. 5.

Confer cum his, quæ infra l. 3. parte 1. *dicentur, cùm in Celsi illius veritatem inquiremus; quòd* sanus homo nullis legibus se adstringere debeat.

Adstantiū pigritia, inscitia & morositas.

IV. *Quandoq; adstantes* vel nimia sua pigritia, vel inscitia & morositate *Medicum suo fine frustrari patiuntur: quatenus à Medico prudenter & diligenter imperata (quantum scilicet* aëris, cubilis & lectisterniorum purgationem, medicamen-

ramentorum & aliorum necessario-
rum ministrationem *attinet) segniùs &*
morosiùs, vel præposterè etiam exsequũtur.

V. Adstantium numero ipsos quoque Pharmacopolarũ vitia.
Pharmacopolas *non male adnumera-*
mus: quorum quanta sæpe sit inscitia, quan-
ta negligentia, quanta fraus, part. 3. l. ult.
pleniùs dicetur.

Quæ omnia quantam Medico *cala-*
mitatem adferant; nemini obscurum esse
potest.

Eam igitur cùm prævidisset Hippocra-
tes, *ac proculdubio multoties expertus esset,*
justissimè in ipso statim aphorismorũ
frontispicio *dixit: ad morborum cura-*
tionem non satis esse, si Medicus *suo per-*
fungatur munere; nisi & ægri, *&* adstan-
tes *(quæ sui sunt officii) diligenter exsequã-*
tur, & reliqua exteriora *ritè sese habeant.*

Exteriorum autem nomine Gale- Exteriora quid?
nus loco prædicto in com. *habitationes*
vel turbarum plenas, vel turba & tumul-
tu vacantes; ea, quæ nunciantur, vel agun-
tur; adeoq́; iram, tristitiam, vel alium
quempiam affectum *ægrotanti incute-*
re, somnum noctu interrumpere, &c.
possunt.

Quorum infinitus solet esse numerus.

Ergo si cùm hæc, tum prædicta omnia rectè atque ex ordine se habeant, non valdè dubiam salutis spem cõcipere licet. Quæ caussa fuit, ut l. 6. Epidem. com. 2. t. 43. Galenus *palàm profiteri ausus sit; perpaucos admodum morbos futuros prorsus mortiferos.*

Si verò res secus eveniat: ecquid tunc Medico *faciendum erit? Hoc ipsi faciendum.*

Medicus debet coadjutores operum vocare.

Vt enim ab aliorum calumniis sese liberet, cõsilium Hippoc. *quod habet* in præceptionib. Medicis t. 7. distinct. Cornarii, *sequatur, & alios Medicos accersi iubeat; quò ex communi consideratione res circa ægrum inquirantur ac cognoscantur, & illi cooperatores fiant ad auxilii ferendi facultatem. Sic enim & propriæ conscientiæ consulet, & aliis sese calumniandi occasionẽ facile præcidet.*

Vbi tamen operam dabit, ut eos saltem accersi jubeat, cum quibus nulla sibi intercedit simultas. *Hi enim si accersẽrentur; à calumniis vix tandem liber futurus esset.*

CA-

CAPUT V.

De Medici finis frustratione propter Medicum.

Quanquam caussæ capitibus tribus [p]ræcedentibus *hucusq; recensitæ, plurimum possint, ut Medicum in finis assecu[ti]one vel morentur saltem, vel penitus im[pe]diant: illud tamen dissimulandum nullo [m]odo est, quòd interdum* Medicus *non [ta]m illarum, quàm* propria sua culpa *à [fi]ne aberret.*

Medicus sua culpa interdum à fine aberrat.

Id autem fieri solet: Si 1. Morbum *pro[prie] & exactè non dignoscat. 2. minus idonea* [r]emedia *usurpet. 3. Segniùs sese Morbo [o]pponat. Quod etsi aliquando fieri non dif[fi]teamur:*

I. *Ars tamen Medica propterea culpan[d]a non est; cùm* errata Artificum non [si]nt imputanda & objicienda ipsi [A]rti.

II. Nec *vitia ac* delicta mali *atq; im[pe]ritioris cuiuspiam* Artificis alii bono [&] *peritiori* impingere vel licet, vel de[b]et.

Ars *autem* Medica *est; pro qua in præ[se]ntia disputamus.* Boni ac periti Artifi-

ces

ces *sunt: quos hic à malevolorum calum*-*niis vindicare conamur.*

Interim illud negare nolumus: quin ali-*quando magni etiam nominis Medici erra*-*re ac falli queant. Etenim*

I. Sic hujus libri parte 1. c. 4. *Nephri*-*tici & Colici doloris similitudine Medico*-*aliàs satis exercitatos quandoq; decipi poss*-*diximus.*

Historia. *II. Sic olim* quidam maximi nomi-nis Medicus Italus, *abortu à sinistro quo*-*rundam medicamentorum usu procurato*-*nobilem quandam fœminam fuisse gravi*-*dam, contra omnem suam spem discere co*-*actus fuit.*

Alia. *III. Sic* Matthæum Curtium *Diæ*-*ta, cui* Clemens Pontifex *diu assueve*-*rat, permutata, non parvam necis ipsiu*-*caussam extitisse refert* Bruno Seideliu-de Morb. Incurab. p 38. & seq.

Quæ & qualia si nonnunquam contin-*gere vel videmus ipsi, vel audimus ab aliis*-*id velim nobiscum cogitemus; quòd* hu-manum quidem sit errare; plenum verò benevolentiæ signum, errore humanos non salsè exagitare, sed a-

mic

nicè excusare. *Etenim quod cupiã propter communem ingenii humani imbecillitatem accidit: illud aliis etiam accidere potest; siquidem secundùm tritum illud*
Ipse etiam quandoq; bonus dormitat Homerus.

LIBRI SECUNDI.
PARS III.
De Mediis pro consequendo Fine Medicinæ necessariis:
In qua Sectiones sex:
QVARVM PRIMÆ.
CAPUT I.
De Medicinæ certitudine in genere.

S*Vnt non pauci; qui* Medicam Artem *ut* incertam *traducunt* ac dubiam. *Quam ob caussam rem dicunt periculi esse plenissimam, si quis se Medico committat: cùm is solis ducatur coniecturis.*

Qui quidem illis per omnia sunt cõtrarii, quorum errorem sectione sequente *confutabimus. Vt enim* præsentes *plus, quàm par est, à Medicis sibi timent: ita* illi *nimis confidenter atq; imprudenter* cuivis Medicum sese professo *non tantùm fidem adhibent: verùm etiam insanæ ipsorũ*

medendi libidini propria corpora indulgẽt & ut alii ipſorum exempla ſequantur, quò ad poſſunt, inſtant.

Medici periti quærendi.

Iſtorum *temeritati deinceps, uti dicti eſt, nos opponemus:* præſentib. *hoc principiò conſilii damus; ne rudes & imperitos reliquorum inſtar, ſed* doctos atq; exercitatos (*quales inprimis* Medicorum nomine dignos judicamus) *quærant, hos ſectentur; his ſe curandos committant. Cùm enim nemo imaginem ſuam pingi ſinat, niſi probato priùs artifice per quædam experimenta, atq; ita electo: quidni parem curam homines adhibeant in quærẽdo Medico idoneo?* Scribonius Largus in Epiſtola ad Cajum Julium Calliſtum.

Medicina certa.

Deinde in univerſum non concedimus, dum Medicinam ſolis coniecturis inniti affirmant. Id enim Artificis forſan, ſeu Profeſſoris, ut loquitur Celſus l. 2. c. 6. *non autem Artis eſſe aliquantò rectiùs cum* Galeno l. de opt. ſect. ad Thraſybul. c. 4. *dixerint. Conſtans enim ac firma eſt tota Medicina, & doctrinæ optimæ in ipſa compoſitæ;* Hippocrates l. de loc. in hom. t. 57. diſt. Cornarii: *hoc eſt, Medicina*


firmiu

firmis & indubitatis cōstat præceptis, principiis suis consentaneis. Galen. l.de Opt. Secta ad Thrasybul.c.1.

Finis *quoq;* ratione Medicina satis certa est. *Est enim is non hæc sanitas, sed sanitas simpliciter: quandoquidem* Medicina, *quâ Medicina, hoc est, animi ille habitus, secundùm quem mederi novimus,* circa universalia versatur. *At Finis universalis, more aliorum universalium, æternus est, aliterq; se habere nequit. Certus igitur ipse, adeoq; certus Artis eventus.* Argenterius in Art. Med. Galeni com 1. pag. 71. novæ editionis Marnianæ.

Valleriola l. 1. loc. com. c. 1. in fine *distinguit inter scopum & finem, secundùm illud* è l. de sectis, ad eos, qui introducuntur c. 1. *Id, quo Medicina intendit, esse sanitatem; hanc verò ipsam parare, artis eiusdem finem.* Scopum *igitur certum ait esse & perpetuum: non verò* finem. NB.

Vtrum verò ob finis frustrationem Medicus sit culpandus; vide hoc libro part. 2. sect. 3. c. 1.



Caput II.

De Medicinæ certitudine ratione partis Theoricæ in specie.

Prædictorum veritas liquidior evadet, si partes ipsius Medicinæ nonnihil excusserimus. Et quidem si quis illam, quæ vulgò Theoretica *(eò, quòd à praxi aliquantò longiùs sit remota) appellatur, ac de* Homine, sanitatis Naturâ, Differentiis, Caussis, Symptomatibus, itẽq; Morbo *huic opposito tractat, intueatur; tantam eius cum* Physica *cognationem esse deprehendet, ut cùm hac, si finem mutet, & in talium nudâ cognitione acquiescat, penitùs ipsam cõvenire affirmare possit. Rectè enim* Aristoteles l. de sensu & sensibilibus c.1. & l. de Respiratione cap. 8. *Physici,* inquit, *munus est, prima Morbi ac Sanitatis principia, caussasq; considerare: præcipuè cùm nec Morbus, nec Sanitas in ea, quæ vita carent, cadere possit. Quo fit, ut Physicorum plurimi & Medicorum elegãtissimi; illi quidem in principiis Medicis desinant: hi verò ex naturæ contemplatione Medicinam exordiantur.*

Medicinæ Theoreticæ cum Physica maxima affinitas.

Vnde proculdubio evenit, ut olim Medicina

Philosophi olim Medici.

dicina

icina pars ſapientiæ *haberetur* , & *Morborum curatio, ac rerum naturæ con-mplatio ſub iisdem auctorib. naſceretur. cilicet his hanc maximè requirētibus: qui rporum ſuorum robora, inquieta cogita-one, nocturnaq; vigilia minuerant. ideoq; multos ex* ſapientiæ Profeſſoribus *pe-itos eius fuiſſe accepimus: clariſſimos verò x his* Pythagoram, Empedoclem, & Democritum. *Solus* Hippocrates *pri-mus ex omnibus memoria dignis à ſtudio ſapientiæ Medicinam ſeparavit, ſi* Celſo *redimus* in prooemio l. 1.

Quare non oportet in ius vocare Philo-ſophos, quaſi terminos præterierint, ſi de his, quæ ad bonam valetudinem cōducunt, diſputent: verùm ita magis accuſandos du-cere, ſi prorſus ſublatis finibus exiſtimave-rint communiter, velut in eadem regione, ſeſe rerum, quæcunq; ſint honeſtæ, ſtudioſos verſari oportere: ſectantes pariter, & quod in diſputando oblectet, & quod ad uſum vi-tæ ſit neceſſarium. Zeuxippus apud Plu-tarchum in initio Dialogi de tuenda valetudine.

Interim hoc in loco illud prætereundum

Sanitatis & Morbi confideratio Medica quid differat à Philofophica.

non eſt; quòd accuratior ac diligentior *videatur eſſe* Sanitatis ac Morborum conſideratio, quæ à Medicis, *quàm quæ à Philoſophis instituitur.*

Philoſophi *enim, ſi proximam cuiusq; rei cauſſam ſciant, de aliis amplius non ſunt ſolliciti: utpote cùm ad demonſtrationem & ſcientiam comparandam ipſis ſint inutiles. Patet hoc è* l. 1. poſt. Analyt. c. 2. t. 7. & l. 1. Metaph. c. 3. *dum* Ariſtoteles ait; *ſcire putamus unamquamq; rem ſimpliciter, non autem ſophiſtico modo, hoc eſt, ex accidente, cùm putamus cauſſam cognoſcere, propter quam res eſt, eius rei cauſſam eſſe, nec poſſe eam rem aliter ſe habere.*

Vbi notandum; quòd Ariſtoteles nō cauſſas, ſed cauſſam ad ſcientiam requiri ſcribat. *Cauſſam autem dum nominat, has conditiones in ipſa deſiderat. I. ut ſit prima,* Ariſt. ibid. c. 10. t. 95. *II. proxima,* l. 2. poſt. Analyt. c. 17. t. 99. *III. immediata.* ibid. c. 18. t. 101.

At Medicus (*cuius officii eſt: Sanitatem conſervare, & Morbos partim depellere, partim præcavere*) nō proximam *duntaxat cauſſam, ſed cùm* antecedentes, *tùm*

m procatarcticas *cognoscere cogitur: non tam* Ipse *commoda remedia invenire & temperare; quàm* Ægrum, *à quibus sibi vel cavere, vel quibus uti debeat, informare diligenter possit.*

Deinde licet Physici *itidem muneris sit, remediorum vires scrutari:* Medicus *tamen* Utendi modum, Quantitatem, Tempus, *& quæ sunt similia*, accuratiùs examinat & definit.

Caput III.

An Medicina Physicæ sit subalternata?

Etsi partis Medicinæ Theoreticæ *cum Physica maxima sit affinitas: tota tamen Medicina Physicæ subalternata propriè nō est, ut quibusdam placuit, quos è recentioribus sequitur* Joh. Nicolaus Stupanus Medicus Basileensis, in Prolegom. Medicor. disput. 1. th. 4. & seqq. *Nam*

Medicina non est Physicæ subalternata.

I. *Subiectum* Medicinæ *est species subiecti scientiæ naturalis. Atqui scientiæ subalternatæ subiectum non debet esse species subiecti scientiæ subalternantis.* Zab. l. de tribus præcognitis c. 14. *Ergo, &c.*

Probatur assumtum. Z 4 I.

1. *Cùm enim* Scientia ſubalternata *in demonſtrationib. ſuis adhibeat principia* Scientiæ ſubalternantis, *nullæ forent demonſtrationes* : *quia* principia Generis non ſunt niſi remotę cauſſæ ſpecierum.

2. *Cùm ſcientia inferior à ſuperiore affectiones ſuas mutuetur, affectiones inferioris nō eſſent propriæ* : *quia* affectio Generis ſpeciei primò non competit.

II. Nulla Scientia ſubalternata addit novum conſiderandi modum. Zab.ibid. *Sed Medicina addit novum conſiderandi modum. Phyſica enim cognoſcendi: Medicina operandi, ſeu faciendi gratia res ſuas tractat.*

III. Nulla Ars ſubordinatur Scientiæ. Medicina eſt Ars. Ergo, &c.

Major propoſitio *probatur iisdem, quibus* minor præcedentis argumentationis *confirmata fuit. Praxis enim & ſpeculatio ſunt res diverſi ordinis, & differunt eſſentialiter: quod in ſubalternatis nō reperitur.* Pererius l. 2. de rer. nat. prin. & aff. c. 4.

IV. Pars Medicinæ Theoretica dicta

tota

nata est Physica, sine Artis universali mutato: ut capite antecedente *dictum est, & ipse* Argenterius com. 1. p. 71. novæ editionis Marnianæ in Art. Medic. Galeni *disertè fatetur. Ergo Physicæ non potest esse subalternata, nisi impropriè.* Argenterius ibidem.

CAPUT IV.

De Medicinæ certitudine ratione partis Practicæ in specie.

Si quis verò Medicinæ parte θεωρητικῇ *dimissa, partem* πρακτικὴν, *vel rectiùs* ποιητικὴν, *consideret; non minùs & in hac firma & necessaria (verùm* non simpliciter, sed ex finis suppositione) *præcepta reperiet.*

Talia sunt: quæ secundùm naturam exsistunt, conservanda: quæ contra naturam, removenda. Præcepta Medica necessaria.

Item: calida refrigerare; frigida calefacere; crassa attenuare, tenuia incrassare; viscida detergere, acria mitigare; humores quantitate & qualitate peccantes evacuare; motu delinquentes revellere; obstructa aperire; putredinem inhibere; immatura

ra cõcoquere; dura emollire oportet.

Hæc & infinita similia perpetuæ sunt veritatis: nec levi aut fallaci coniecturæ innituntur.

Ipse autem Artifex, *sive* Medicus, *etsi non hominem in genere, sed hunc hominē, hoc est, certum ac determinatum hominis individuum sanet:* supra l.1. part. 2. s. 2. class. 2. c. 1. *morbiq; pro individuorum diversitate non parum differant: tamen opera* methodi semiotices *quasvis difficultates facilè superare potest.*

Methodi semiotices utilitas.

1. *Hac enim adiutus, non dubia quadā & fallaci coniectura, veluti* Divinatoria: *sed certis & demonstrativis quasi indiciis* Temperamentorum differentias *internoscit:* humores *vitiosos deprehendit:* morbi naturam *explicat, & ipsius* eventum *prædicit: ut ita è Medici ore Pythius Apollo ægrotantibus vaticinari videatur. Quod de Galeno Eudemum affirmâsse legimus* l. de Præcogn. ad Posthum. c. 3.

Ac licet Hippocrates in Epistola ad Philopœmena, & Macrobius l. 1. Saturn. c. 20. *Medicinam & Divinatricem consociatas disciplinas appellaverint,*

qua-

atenus utraq; ab uno genita Apolline, futura prædicit: non tamen parum discriminis inter easdē intercedit, ut è dictis liquet.

II. Eadem methodo Medicus ad remediorum quoq; idoneorum invētionem manu quasi ducitur, ut videre est apud Galenum l.3.meth.med.c.3.&7. *Illic enim uno cavi ulceris sanandi exemplo eleganter ostendit, quantum* Medicorum Rationalium *curatio ab* Empiricorū *&* Methodicorum *curatione in solidum differat, & in quibus illorum multò certior sit.*

Vide; quæ de hac re à nobis loco antea allegato c.3. *è Galeno proposita sunt.*

CAPUT V.

De iis, ob quæ Medicina quodammodò Conjecturalis esse videtur.

Medicinam, *vel prout ad usum applicatur, vel ab usu abstrahitur, consideratam satis esse certam, hucusq; à nobis monstratū fuit. Sunt tamen nonnulla: quæ ipsam conjecturæ quodammodò atque incertitudinis cuiusdam participem reddere videntur.*

Inter ea autem primum sibi locum vendicat Laborantis natura specifica; *quã* Medicinā conjecturalem fa-

Græ-

çit ægrorum ἰδιοσυγκρασία.

Græci ἰδιοσυγκρασίαν *nominant, quæq; in caussa est, ut Medicus internoscat, quæ huic, quæve illi amica esse soleant. Ob hanc nonnulli* Tormentillam; *alii* rosas; *alii* helleborum nigrum; *alii alia aversantur.*

Observationes.

Tormentillam in Autumno Anni 1609. *plurimos, qui hic è Dysenteria decũbebant, tantopere aversari vidimus, ut ipsam quocunq; modo usurpatam vomitu quamprimum rejicerent.*

Ab aquę rosarum *usu honesta quædã fœmina uterina symptomata aliàs incurrere solita;* æstate Anni 1610. *Tertianâ Intermittente correpta, lacti amygdalino, domi suæ parato, aquæ rosarum nonnihil suo arbitratu admisceri jussit: quod cum vix degustâsset, consuetis symptomatibus ocyùs exerceri cæpit.*

Helleboro nigro more officinarũ parato, *ad humores adustos & melancholicos è corporibus educendos in decoctis, & vinis purgantibus certâ dosi aliis purgantibus addito, nullo vomitu superveniente, frequentissimè utor. Aliter tamen res apud duos nobiles juvenes fratres successit.* Illi e-*nim,*

im, qui natu & staturâ grandior, copiosissi-mi vomitus oborti sunt: alteri *verò pau-ciores & minùs molesti.*

Hæc igitur ἰδιοσυγκρασία *non nisi eventu cognosci potest : aliàs incomprehensibilis existens. Unde factum, ut nonnulli veram medendi scientiam soli Æsculapio & Apollini concessam dixerint :* Galen. l. 3. meth. med. cap. 7. *cùm certitudinem exactam in his rarò videre contingat.* Hippocrates lib. de veteri Medicina t. 16. distinct. Cornarii. *Nihilominus illi Medici cum eodem* l. c. *vehementer laudandi sunt : qui parum solummodò deliquerint.* Cùr soli Apollini & Æsculapio exactã medendi scientiam attribuerint?

Neq; Ars propterea damnanda : quòd in omnibus exactam certitudinem non assequatur. Quin cùm certitudini & recto propinqua sit, simulq; ratione quadam ad ista pervenire possit, admirari decet ea, quæ ex multa ignorantia eruta sunt & inventa : & quidem ideò, quòd probè & rectè inventa sunt, & non à Fortuna, vel Casu. Hippocrates ibid. t. 20.

Deinde nihil Medicam Artem *æquè in agendo coniecturalem facit, quàm cuiusque remedii quantitas, vel* Galeno confitente

fitēte l. de cur. rat. per sang. miss. c. 12.

Quod ut in aliis, nempe alterātibus & præparantibus, cum leviore: ita in Purgantibus *cum maiore periculo coniunctum est, cùm horū exhibitio ægrè postea corrigi possit. Nam quod semel in ventrem devoratum est medicamentum, quò minùs omne devoratum sit, fieri non potest. Neq; possibile est ubi homo plus, quàm conveniat, jam purgetur, oblati partem auferre: veluti vena incisa digito superimposito fluxus sanguinis statim sisti potest*, Galen. l. de venæ sect. adv. Erasistr. c. 7.

Purgantium in majore dosi exhibitorum noxa non facilè avertitur.

Attamen difficile admodum non fuerit & hoc periculum effugere: si quod Galenus. l. de cur. rat. per sang. miss. c. 12. *in venæsectione observandum esse monuit, nos in purgantium administratione observemus. Vt enim illam vel tertiò repetere, imò (si revellere animus sit) maiorem in numerum particulares detractiones augere: quàm uno impetu omnem sanguinem, qui redundat, exhaurire, & omni vi effusâ ægrum fortassis præcipitare,* ut loquitur Celsus l. 2. c. 10. *satius est: ita etiam medicamenta purgantia partiri, & quod prio-*

ἐπίκρασις utilis.

re

re detractum non est, posterioris exhibitione educere convenit.

Scilicet semel multum & repentè vel evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, aut alio quovis modo corpus movere, periculosum. Omne *enim* nimium naturæ inimicum. *Paullatim vero quod fit, tutum: cum aliàs, tum maximè, si ab uno ad aliud facienda sit mutatio.* Hippocrates l. 2. aph. 51. *Hanc ob caussam* idem l. 6. aphor. 27. *dixit: quicunque Empyi aut Hydropici uruntur, aut secantur: si pus aut aqua universim effluxerit, omnino moriuntur.*

Illius ergo periculi, quod è sinistro purgãtium usu provenire poterat, evitandi gratia sine dubio Majores in veram purgantiũ dosin tam sollicitè inquisiverunt, ac ne Iunioribus facilè errandi daretur occasio, tam fideliter scriptis suis consignatam ad posteros transmiserunt. Purgantiũ dosis

Vtile autem est, & Regionẽ, *&* Ætatem, *&* Vitę genus, *&* Consuetudinẽ, *& huius generis similia diligenter observare: quò minor peccandi offeratur opportunitas.*

Lubet

Lubet concludere Celsi sententia: *Quatenus coniecturalis est Medicina, eatenus Coniecturæ ratio talis est, ut cùm sæpius aliquando responderit, interdum tamē nos fallat. Si quid verò vix in millesimo corpore aliquando decipit, id notam non habet, cùm per innumerabiles homines respondeat.* Celsus l.2.c.6.

SECTIONIS SECUNDÆ, Procœmium.

Tria esse, de quibus in *hoc libro* acturi simus: *suprà in prologuio generali* dictum est. Quia verò ea, quæ cū *Subjectum*, tum *Finem* concernunt, pro instituti nostri ratione hactenus expedivimus: Superest, ut de *Mediis* porrò nonnulla adferamus, & per hæc etiam Medicinæ dignitatem asseramus. Cumq; *Sectione præcedente de certitudine Medicinæ* disseruerimus: ordinis jam requirit ratio, ut, quæ & qualia illa *media* sint, ostendamus.

CAPUT I.
De rebus Medico cognitu necessariis in genere.

A Medico totum universum considerandum.

Hominis, *seu Microcosmi, cum* Macrocosmo *magnum esse cōsensum*, suprà parte 1.c.2 *monstravimus. Unde sequitur:* Macrocosmi, *sive Mundi universi, diligentiorem contemplationem soli Philosopho*

o naturali nequaquam relinquendam: l ab ipso etiam Medico curiosè ac studiosè stituendam esse.

Secus qui opinatur: is divino nostro lippocrati *in faciem obstinatè contra- cit, ut patet* è l. de sterilibus t. 18. dist. ornarii.

Contradicit autem is non minùs rectæ rinculpatæ rationi Etenim quomodò Me- icus ægro de aëre *noxio vitando consu- t; salubri captando prospiciet? quomodò* ibum *ritè præscribet;* potum *imperabit;* emedia *temperabit? nisi quæ istorum o- nium natura sit, probè priùs intellexerit?*

At hæc Terrâ, Aëre Mariq; *conti- entur omnia: ad usus humanos divinâ rovidentiâ creata, & saluti nostræ ingenti* Creatoris *beneficentiâ destinata. Quibus erbis ferè etiam utitur* Nicolaus Bie- us in præfat. comm. super Art. parv. Galeni.

Totum igitur Mundi hujus sublunaris heatrum, ex Aëre, Aquâ & Tellure pri- nò conflatum; postea verò Animantibus, tirpibus, Metallis, Mineralibus, & Lapi- ibus omnis generis mirè exornatum, Me-

Aa *dico*

dico diligenter cognoscendum est: si quæ su
sunt muneris, ritè exsequi, hoc est, non so
lùm citò & jucundè, Galenus in initi
l. de fasciis; *sed etiam tutò mederi veli*
l. 12. meth. med. c. 1.

Medicus debet esse Philoso-phus.

Quæ omnia cùm Philosophus *etiam*
sed alio fine, cognoscere soleat: utiq; præte
rationem à Galeno factum non est; dum
peculiari scripto Isagogico ostendit; eum
qui optimus velit esse Medicus, simu
debere esse Philosophũ. *Talem quipp*
Hippocrates l. de decenti ornatu
4. dist. Cornarii ἰσόθεον *nominavit.*

E quibus patet, Joh. Bapt. Montanum
simpliciter damnandum non esse; quand
suæ Medic. parte 1. pag. 135. *Medici*
nam quandam Philosophiam particula
rem nominavit. Quæ enim Physicus *i*
genere & absolutè; ea Medicus *homin*
potissimùm gratiâ cognoscit.

Caput II.

De Astronomiæ Cognitione.

Medicus astrorum cognitio-nem tene-re debet.

Putabitne aliquis, ea, quæ supra nos, ni
hil omninò ad nos? Absit, ut quispiam ho
putet. Aliter enim nos usus, cùm rerum i
genere omnium, tùm inprimis Medicina
magi

[m]agister efficacissimus (veluti appellatur [a] Plinio l.26.nat.hist.c.2.) edocuit: aliter [H]ippocrates noster observavit.

Sic enim is l. de Aëre, Aquis & Locis [c].6. *Periculosissima*, inquit, *ambo sunt* [So]lstitia: *maximè verò Aestivum, Periculo*[su]m *etiam Aequinoctium utrumque; magis* [v]erò *Autumnale. Oportet autem & astro*[r]um *ortus considerare; præcipuè Canis, de*[i]nde *Arcturi & Pleiadum occasum. Morbi* [e]nim *in his maximè diebus iudicantur, a*[l]iique *periment, alii desinunt: reliqui verò* [o]mnes *in aliam speciem, aliumque statum* [t]ransmutantur.

Sic Galenus l.3. de diebus decretor. cap.2. *Omnium certè*, inquit, *superiorum* [a]strorum *potentiâ fruimur: verùm* Sol maximè hũc orbem exornat, & concinnè disponit. *Quippe Veris, Aestatis, Autumni & Hyemis auctor alius nemo ex*[i]stit. *Nec alius tam manifestò, vel ex ter*[r]estri *fæce animalia generare potest, neque* fruges *maturare, neque ad generis propaga*tionem *animantia provocare.* Magna *sa*[n]è & Lunæ opera *in hac rerum substan*tia *apparent: verùm Solis effectibus poste*- Solis effectus. Lunæ.

 riora.

riora. Etenim menses hæc perpetuò ordina- Idq́; evidèter adeò in marinis belluis. Qui- quam hoc Solis beneficio debeat.

Et paullò pòst: *Igitur* (Luna scilicet) *fructus auget, incrassatq́;: animan- tia implet: menstruorum statum tempu- mulieribus conservat: comitialium circu- tus custodit: eò maximè, quò Solis plus m- nusve participaverit. Omnia siquidem, qu- facere nata est, ubi* falcis figuram *repr- sentat, languida fiunt: invalescunt omni- cùm* plena *fuerit. Quapropter & frug- interea adauget, maturatq́; celerrimè: f- rarum occisa corpora in tabem visu suo r- solvit: somnoq́; sopitis sub eius lumine, v- aliter diutius immoratis, pallorem & cap- tis gravitatem conciliat.* Hæc Galenus

Eadem pœnè iisdem verbis ex Antyll- refert Stobæus serm. 99. sub finem.

Novilunii incómoda.

Et cui ignotum esse potest? multis su- novilunium morbos recrudescere; corpor- ægrotantium in peius ruere; purgationes pe- id tempus nocere; & si pestilentia grassetu- plerunque plures, quàm alio tempore, in- terire.

Nimirum verè olim l. 1. Meteor. c. 2 dixi-

xit Aristoteles; *quòd mundus iste in-ior supernis lationibus propemodum ne-sariò sit contiguus, ut inde omnis eius rtus & regatur, & gubernetur.* Cœli cum inferioribus consensus.

Quæ caussa fuit, ut l. 2. de Generat. Corrupt. c. 10. *uni cœlo tam genera-nem, quàm corruptionem rerum sublu-rium ferè adscripserit; Sole tamen & unâ è cœlestibus præcipuè mediantibus: uorum calores & refrigerationes cum mo-ratione quadam generationes, sine mo-ratione corruptiones efficiant.* l. 4. de ge-erat. animal. c. 10.

Non tamen nihil virium reliqua sy-era, *cùm ratione suorum ortuum & oc-asuum, tùm variorum ad invicem plane-arum aspectuum conferunt.*

Etenim quantam aëris mutationem pe-uliarium nonnullorum syderum exortus & occasus pariant, è Medicis Principibus Aetius tetrab. 1. serm. 3. c. 164. tradit.

Lunam *ratione diversorum aspectuum non ægris tantùm, sed & sanis, dies, quales tandem futuri sint, prænunciare posse, ve-rissimè ab Aegyptiis Astronomis dictum,* Galenus observavit. l. 3. de dieb. de-cretor. c. 6.

Influentiæ cœlestes an sint?

Reliquorum corporum cœlestium præter lumen & motum *singulares atq; occultos dari influxus, statuunt* Conimbricenses l. 2. de cœlo c. 3. quæst. 3. art. 2. & l. 2. de Gener. & Corrupt. cap. 10. quæst. 1. art. 2. *Quam rem uberrimè persequitur* Gerhardus Columba l. 1. de febre pestilenti, à cap. 6. ad cap. 21. *Superstitiosus in eadem esse videtur* Galeottus Martius de doctrina promiscua, c. 25. & aliis.

An in medendo ad astrorum constitutionem semper sit attendendum?

Quæ etsi ita (uti hactenus enarratum) sese habeant: negligendum tamen non est, quòd nonnunquam prædictis corporum superiorum constitutionibus posthabitis Medicus soli morborum vehementiæ attendere, *illiq; cùm purgando, tum venam secando, & aliis mediis necessariis quamprimùm succurrere cogatur. Secus enim si faciat, & tempore præsente (quod superiorum respectu minùs opportunum esse colligit) commodius exspectare velit: equidem* procrastinatione *istâ ægrum non nisi in præsentaneum vitæ discrimen conjiciet.*

Verbi gratiâ: *si quispiam sub Cane,*

l ante Canem, quo tempore Hippocra-s l. 4. aph. 5. *purgationes difficiles esse*, *sub novilunium item, & alios errati-rum stellarum infaustos ad se invicem* *pectus* febre synochâ, ardente, Pleu-ritide, Peripneumoniâ, Anginâ, hrenitide, *aut simili aliquo morbo acuto rripiatur: reliqua non veritus, audacter Medicus cùm purgabit, tum venam seca-it: cùm periculum in mora sit, ac* necessi-as legem non habeat.

In talibus igitur morbis vel purgandi, vel venam secandi opportunitas à cœlo pe-enda non est. Quorum posterius etiam in-ulcat Johan. Hasfurtus Virdungus in sua morbos ex Mathematica scientia curandi methodo tr. 2. c. 15.

Huc refer ea, quæ de medendi opportuni-tate deinceps dicentur.

CAPUT III.

De Caussis, propter quas multarum rerum scientiâ Medicos instru-ctos esse oportet.

Caussas in Epitomen quasi contraxit Hippocrates: *dum* l. 1. aph. 1. *Vitam brevem, Artem longam, Occasionem præ-*

cipitem, Experimentum periculosum, (*A*grippa in Examine vanit. scient. c. 83. *perperam fallax reddidit*) *Iudicium difficile pronunciavit: præsertim cùm non* Medicum *solùm suo munere ritè perfungi; sed Ægrum etiam Medici monitis parére;* Adstantes *Ægro non connivere; & reliqua* Exteriora *debitè comparata esse deceat.*

Vita cur brevis? *Scilicet* vita brevis, *propter miram corporis humani fragilitatem: de qua* l. 3. parte 2. *disseremus.*

Ars cur longa? Longa *verò* Ars *est ob Naturæ contemplationem, Fabricæ nostræ cognitionem, Caussarum morbificarum obscuras vires.*

Quæ omnia etsi Methodici neglexerint, ac propterea facilem quandam brevitatem, & brevem facilitatem in Medicina sibi polliciti fuerint: tamen l. 1. parte 2. sect. 4. class. 2. *iste ipsorum error pro merito & dignitate à nobis confutatus fuit.*

Caussarũ morbificarum observatio difficilis. *Cæterùm* Caussarum morbificarum vires *nonnisi usu multo* (*quem* Hippocrates *periculosum esse ait*) *observantur: atq; invicem non nisi multo tempore ob simili-*

militudinem dissimilitudinemque, Judicio quod secundùm eundem difficile) internoscuntur, ut ita remedia ipsis convenientia cùm indagari, tùm opponi tandem commode possint.

Accedit medendi Occasio vel Opportunitas; curationis Anima ab Hippocrate in Epistola ad Cratevam scriptâ, & post hunc ab Heurnio in prædicti Aphorismi comm. dist. 5. appellata: quæ itidem præceps est. Corpus enim nostrum & à caussis internis, & externis subinde afficitur: ut idcircò occasio semel neglecta à Medico frustrà in posterum exspectetur. Caussæ namque morbificæ aliam Ideam illicò assumunt; motum ac morem pervertunt, & corpus subitò à priore statu deiiciunt.

Medendi occasio præceps.

Quamobrem prudenter Pindarus in Pythiis ἰατρὸν laudavit ἐπικαιρότατον: recteque Salustius dixit: prolatando magnas opportunitates corrumpi, facto & non consulto opus esse in periculo. Et Hippocrates in Epistola ad Cratevam; ab omni equidem Arte, inquit, aliena res est dila-

tio; verùm maximè à Medicina, in qua dilatio est animæ periculum.

Hippocrates ad finem Medicinæ non pervenit.

Hâc igitur difficultate motus divinus Hippocrates, Epistola ad Democritum scriptâ palàm testatus est, *se nondum ad Medicinæ finem pervenisse: quin nec ipsius inventorē* Aesculapium; *cùm & is in plurimis à seipso dissenserit.*

Hûc aptissimè quadrat aurea illa Aristotelis sententia, *quæ habetur* l. 5. Eth. Nicomach. cap. 9. *quamq́; è* Platonis Phædro *propemodum transtulisse ac mutuatus esse videtur.*

Ita enim Phædrus & Socrates apud Platonem *invicem colloquũtur.* Socr. *Dic age, si quis amico tuo Eryximacho, vel patri eius Acumeno dicat in hunc modum; Ego quidem illa scio corpori admovere, quibus & calescat pro arbitrio meo, & frigeat; vomitum quoq;, rursusq́; dejectionem, & expurgationes alias provocare, cæteraq́; hujusmodi multa teneo, quibus cognitis, & Medicum me esse profiteor, & alium quemlibet Medicum me facere posse. Quid illos responsuros existimas?* Phædr. *Quidnam aliud? quàm percontaturos, numquid*

etiam

iam ſciat Quibus, Quando & Quo- *q;,ſingula horum ſint adhibenda?* Soc. *rgo ſi dicat, nullo modo ſe intelligere, ſed oportere eum, qui ab ipſo didicerit, talia uædam facere poſſe, quid reſpondebunt?* Phæ. *Certè hujusmodi hominem inſa-ire: qui cùm ex aliquo Medicorum libro udiverit quandoq; aliquid, & in medc-as nonnullas inciderit, neq; quicquam Ar-is intelligat, Medicum evaſiſſe ſe putat.* Verum Medicum quid efficiat?

Ita verò Ariſtoteles. *Multò,*inquit, *maioris negotii res eſt, quod ſciveris, effe-ctum dare: quàm quæ ſalubria ſint, nôſſe & animo comprehendere. Etenim quid mel ſit, quid vinum, helleborus, aduſtio & inci-ſio, facile eſt intelligere: at* Quomodo *ea accommodatè ad valetudinem adhiben-da ſint*, & Cui, & Quando, *tàm difficile eſt, quàm verè veri Medici nomen poſſi-dere.*

Caput IV.
De Hieroglyphicis, quibus Priſci peritiam Medici adumbraverunt.

Cùm Priſci Aeſculapium primum Medicinę repertorem *crederent:* (vide ſuprà

ſuprà l.1.parte 1.ſect.2.c.1.) *proinde per ipſius effigiem Medicos ſui officii admonere voluerunt. Quod ut commodiùs præſtarent; peculiaria nonnulla emblemata effigiei adiecerunt.*

Æſculapius cur barba prolixa pictus?

Primò *igitur* barba demiſſa ac ſylveſcente *præditum pinxerunt: ut innuerent, in Medico multarum rerum uſum requiri atq; experientiam.*

Cur noctua?

II. Noctua *adpicta fuit; ut à Medico diligentiam, vigilantiam, & in ſtudiis perſeverantiam poſtulari ſignificarent, quò morbos cùm imminentes præcavere, tum præſentes avertere poſſet.*

Galerus & baculus.

III. Galerum *& nodoſum* (Ovid. l.15.Metamorph fab.3.*agreſtem vocat)* baculum *adiecerunt: ut oſtenderent, magnâ curâ* tàm remediorum facultates, quàm ægrotantium vires *Medico cognoſcendas eſſe, ut ſciat, quæ remedia æger ferre, quæ non ferre poſſit. Quod cùm ſine maxima difficultate fieri nequeat: idcirco* Feſtus Pompejus *per baculum artis difficultatem ſignificari tradidit;* auctore Tiraquello Tomo 1.de Nobilitate, c. 31.§.20.

IV. Ser-

IV. Serpentem *addiderunt; ut moverent, cautè & prudenter remedia adhibenda esse, videndumq́ue, ut ea ad contorta* Indicantium & Contra-indicantium *volumina probè & rectâ dirigantur.* Serpens.

V. Pinxerunt manu altera caput Draconis amplectentem, ponè vigili adsistente Cane: *ut docerent, sagaci indagine morborum naturam & eventum inquirendum, quæsitum inventumq́ue omni conatu (verùm citra ullum ægri incommodum) morbum abigendum, & sanitatem præsentem conservandam esse.* Draco & Canis.

Macrobius l. 1. Saturnal. c. 20. *simulachris Aesculapii & Salutis ideò figuras* Draconum *adiunctas fuisse scribit: quòd Medici præstent, ut humana corpora, velut infirmitatis pelle deposita, ad pristinum revirescant vigorem: ut revirescunt Dracones per annos singulos, pelle senectutis exutâ.*

VI. Neq́ue præter singulare consilium altera manu pini pomum *gerere finxerunt. Hoc ipso enim repræsentare nixi sunt; durissimum quidem* (sunt verba Heurnii in Oratione de Medicinæ origine) *artis Medicæ esse corticem; sed utilissimam ac sua-* Pini pomum.

ac suavissimam ipsius Medullam & fructum.

Sanitatis effigies alata.

VII. At quærat quispiam, cur dextro lateri sanitatis effigiem alatam *adstare voluerint? Nempe ne Medicus, valetudine hominum posthabita, turpi lucro inhiet; sed illius præ hoc curam diligentissimam gerat, simulq; cogitet, sanitatem ocyssimè alarum remigii beneficio è dextra in lævam partem ferri posse.*

Pullus.

VIII. Deniq; pullum *adjecerunt. At cur* pullum, *dicat aliquis? Nimirum quòd* Diætæ non minor, quàm vel Chirurgiæ, vel Pharmacię habenda sit ratio; *cùm in morbis omnibus, tum iis præcipuè, qui acuti appellantur: ubi vires inprimis grato & laudabilis succi alimento refocillari postulant.*

CAPUT V.

De veri Medici notis.

Ex iis igitur, quæ hucusq; dicta sunt, discendum.

I. Rectissimè dixisse Hippocratem l. de Articulis t. 9. dist. Cornarii, *quòd Medicum multarum rerum peritum esse oporteat.*

II. Alie-

II. Alienissimam à veritate vulgi esse [p]*ersuasionem; dum mederi rem putant es*[s]*e facilimam.*

III. Eos demũ augustissimo Me[d]ici nomine dignos: 1. *qui animum* [m]*ultiplici scientia expoliverunt; 2. re*[r]*um cum aliarum, tum inprimis hominis* [n]*aturam diligenter scrutati sunt. 3. quod* [d]*esideratur in Arte externis illecebris resar*[c]*ire non conantur: 4. & animum habent modestum, non solùm (* monitore Hippocrate l. de Medico, t. 1. *) quod taciturnitatem attinet; sed etiam circa reliquam vitam probè compositum & comem. Austeritas enim & sanis & ægris difficilem accessum præbet.* l. de decenti ornatu t. 7. distin. Cornarii. 5. *Expedit etiam, Medicum esse probum: 6. diligentem: 7. maturum: 8. fortunatum; (* quid autem fortuna sit peculiari sectione postea dicetur) 9. *Deo fretum:* 10. *non sua vel scientia, vel opera, vel successu tumidum:* 11. *non cuiusmodi vulgò turbam videmus, à primis literarum rudimentis continuò seipsam eo nomine venditantem, invidam, maledicam, obtrectatricẽ,* novam speciem

Verorum Medicorum notę.

ſpeciem Cynicorum, *avaram, temulentam, ſupinam, ignavam ſimul atq; ignaram.* Scaliger l. 3. Poetices c. 16.

Japis Virgilianus.

Boni Medici exemplum Japis Virgilianus *exhibet, de quo* l. 12. Æneidos *hæc habentur:*

——————— ille retorto
Pœonium in morem ſenior ſuccinctus amictu,
Multa manu Medica, Phœbiq; potētibus herbis
Nequicquam trepidat.

Receptum ac probatum agnoſcit: cùm ei Pœonium amictum *tribuit. Neq; enim omnibus licebat. Et* ſeniorem *dicit: ut longa rerum experientia munitum declararet.* Herbas quoq; potentes, *easq; non temerè quæſitas, ſed quas* Phœbus *commendârit.* Trepidatio *autem illa diligentiæ ſignum eſt.* Scaliger ibidem. *De Fortuna quoq; ſubdit:*

Nulla viam fortuna regit, nihil autor Apollo
Subvenit.

Dei enim opus eſt: opera autē noſtra. Quare perfecta re & gratias agit Diis, & eorum poteſtati beneficium adſcribit:

Non hæc humanis opibus, non arte Magiſtra
Proveniunt: neq; te Aenea mea dextera ſervat:
Major agit Deus.

CAPUT

CAPUT VI.

De adjumentis, quibus aliquis in verum Medicum evadere potest.

In talem autem Medicum, qualis hacte-[nu]s descriptus à nobis est & depictus, ali-[qu]is evadet, Ducibus, Natura, Doctrina, [L]oco studiis apto, Institutione à [p]uero, Industria & Tempore. *Hippo-[cr]ates in Lege.* Duces studiorum.

Quibus conformia sunt, quæ adfert Sy-[n]ilus, *dum ita scribit:*

Neq; Natura sine Arte sufficit
Cuiquam omninò quocunq; in studio:
Nec Ars per se sine præsidio Naturæ.
Quod si ista duo simul conveniant,
Adhuc desiderantur Sumptus.
Amor, Exercitium, Opportunitas, Tempus,
Natura, Voluntas, Ordo, Diligentia,
Sapientes faciunt, bonosq; viros.

Videndum tamen, quid singula ex illis [co]nferant.

Et Naturæ *quidem* primatus jure [d]ebetur: *quippe quæ tanti momenti est, [u]t sine ipsa ne hilum quidem reliqua usui [e]sse possint, iuxta illud* Horatii in arte [P]oëtica: Natura.

Tu nihil invitâ dices, faciesve Minervâ.

Naturam Galenus l. de Art. Medic.

Constit. c. 7. *acre ingenium appellavit; quod omnia, quæcunq; docentur, impigrè assequatur. Huic tamen veritatis singularem quendam amorem quasi ingenitum esse decet: ut vera dogmata amplectatur, falsa aversetur.*

Doctrina & locus studiis aptus.

A Natura alteras sibi vendicat partes Doctrina vel Institutio. *Neq; enim nascimur artifices, sed instituimur. Instituimur autem non domi ad fornacem, ab* anu aliqua fatidica; *in foro à* clamoso aliquo agyrtâ; *in cœnobio ab* impudico aliquo Monacho, *passim à* Judæo aliquo perfido: *sed in scholis publicis, quas Academias vocare solemus.*

Institutio à puero.

Neq; hoc satis est; nisi à puero instituamur; *vel postquam justa reliquarum disciplinarum, ad Medicinam necessariarum, fundamenta jecimus. Nam ut tritum istud habet:*

A teneris assuescere multum est.

Industria.

Quò Industriam, *hoc est, discendi cupiditatem, & labores sustinendi promptitudinem, accedere oportet. Etenim*

——— ——— ——— Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus. *Horatius serm. l. 1. Satyr. 9.*

Tempus

Tempus *deniq;, quod secundùm* Ne- Tempus.
esianum, *omnia alit, &* Menandro
imus Consiliarius dicitur, requiritur:
llam certè aliam ob caussam, quàm quæ
Hippocrate l.1. aph.1. *allata est; de*
a nos c.3. *egimus.*

Cum his autem omnibus in Medicina
n aliter atq; terrâ nascentibus compara-
m esse in Lege sua tradidit Hippo-
ates.

Natura *enim nostra agro;* Dogmata
ræceptorum *seminibus respondent.* In-
itutioni à puero *cum eo convenit, quòd*
pportuno tempore semina in agrum spar-
nda sint. Locus, *in quo Institutio contin-*
t, est velut ambiens aër, à quo è terra na-
ntibus nutrimentum accedit. Industria
ltura est. Tempus *postremùm hæc o-*
nia corroborat, ut perfectè enutriantur.

Caput VII.

De illorum errore, qui multarum rerum scientiam Medico inutilem ac non necessariam esse dicunt.

Quanquam superioribus capitibus
onstraverimus, quàm multâ & amplâ

rerum ſcientiâ inſtructum eſſe deceat illum, qui Medici perſonam cum laudè ſuſtinere cupiat: invenias tamen non paucos, qui id negare, arctos valdè & contractos rerum ſcientiæ limites eidem præſcribere auſint.

Vulgi de Medicis perſuaſio.

Scilicet non intereſſe exiſtimant, num Morbi Ideam exactiſſimè intelligat, ac remedii naturam & vires diligenter exploratas habeat: modò medicamine quopiam ſive è libro aliquo tranſcripto, ſive à Medico aliquo doctiore per fraudem emendicato, ſive ab anu quapiam fatidicâ monſtrato, opem tuliſſe videatur.

Vnde res eò devenit, ut quamvis Medicina omnium Artium ſit præclariſſima; tamen propter eorum (qui ipſam exercent) ignorantiam, & vulgi, quod modò dictos pro Medicis (cùm tamen nihil ſint minus) non ſolùm ipſummet agnoſcit, verùm etiam apud alios quaſi venditat, ruditatem, omnium Artium longè viliſſima cenſeatur, veluti loquitur in Lege ſua Hippocrates.

Ariſtotelis de Me-

Non verò ſic de Medicis & Medicina ſenſit Ariſtoteles. *Cùm enim is morbi ali-*

iquando detineretur, & *Medicus ei præ*ptum quoddam injungeret: ne*, inquit, *e cures, vel ut bubulcum, vel ut fossorem; d priùs caussam edissere. Sic enim facili ersuasione me morigerum reddideris.* Aeanus l.9. de var. hist. c.23. dicis sententia.

Quo Aristotelis *eruditissimo responso locemur, benè* Galenum l.1. meth. med. c.1. *dixisse: veteres illos* Medicos, ab Aesculapio oriundos, tanquam Duces militibus, & Reges subditis imperare; *nequaquam verò Getarum, Tibiorum, Phrygum & Thracum emptitiorum ritu parere atq; obsequi voluisse: qui & frigidam darent, ubi poposcerint; & lavarent, cùm jusserint, & nivem vinumq; porrigerent. Talia enim ægris temerè concedenda non sunt: nisi forsan ab ipsorum exhibitione multum periculi metuendum non sit, ipsiq; ægri hoc medio obsequentiores ad reliqua Medicorum præcepta servanda efficiantur: ut patebit ex iis, quæ* partim peculiari sectione de excitanda ægri confidentiâ hac ipsa parte *deinceps dicentur*, partim l.3. parte 1. *ubi de illa quæstione disseremus*, utrum salubrius sit, naturæ in- Medici Imperatores.

 stinctui,

ſtinctui, quàm Medicorum præceptis obſequi, *adferentur.*

Non Tyranni.

Tametſi verò Aſclepiadæ *ægris imperaverunt: tamen non Dionyſii, Phalaris, aut aliorum tyrannorum, ſed* Solonis, Draconis & Lycurgi *inſtar (docendo ſcilicet & ſuadendo) id præſtiterunt. Qui enim nuda verba adferunt, & plus ſibi credi poſtulant, quàm qui cum demonſtrationum fide loquuntur, tyrannorum more jubent:* Galenus l. 2. meth. med. c. 5. *& temeritate magis, quàm conſilio, violentia item magis, quàm facultate medentur, ſecus quàm* l. de Arte t. 20. diſt. Cornarii præcepit Hippocrates.

Falſorum Medicorum notę.

Qui autem aliter, quàm Ariſtoteles, *ſentiunt, ii non animadvertunt; eos, qui* 1. *impudenti iactantia; (quam* Hippocrates in præceptionibus t. 9. *induſtriæ & laboris impotentiam oſtendere ſcribit)* 2. *ſalutatione:* 3. *temeraria facilitate & promptitudine:* 4. *ioco & facetiis hominum indoctorum favorem captant:* 5. *morum maieſtate;* 6. *ſuperbo corporis habitu;* 7. *precioſo annulorum ornatu;* 8. *magno ſubſequentium comitatu Artem oſtentant;* 9. *alios*

ios calumniando famam aucupantur; 10. *Pharmacopola lucri participe commentantur*; Agrippa de vanit.ſcient.c.83. *Medici auguſtiſſimo nomine neutiquam dignos eſſe*: teſtibus Hippocrate l. de decenti ornatu t. 1. & 2. Galeno l.de præcogn.ad Poſthum. c.1.

Quamobrem optimè Seneca in quadam Epiſtola; *Medicorum*, inquit, *conſilia devita; qui parum docti, & ſatis ſeduli multos officioſiſſimè occidunt. Imperitia enim malus theſaurus eſt, & infelices opes his, qui eam repoſitam habent, & inſomnium, aut potius ſomnium diurnum, & maximè verum, alacritatis fiduciæq́; ac veræ exultationis expers, timiditatis & audaciæ nutrix: quarum illa* (timiditas videlicet) *impotentiam; hæc* (Audacia) *Artis ignorantiam ſignificat*. Hippocrat. in Lege. NB.

Huc pertinet Caſſii iſtud apud Baſſianum Landum in Iatrologia pag. 16. *Vides pallium quidem & barbam: At Medicos non vides. Sanè multos conſpicias licet Aceſias imperitos, Menecrates inſanos, Nicias infidos, Theſſalos arrogantes* NB.

& furentes: nullos Aesculapios, nullos Chironas, nullos Asclepiades, paucos Acronas, Aristogenes, Philippos.

Medicinæ difficultas.

Gravior, meherclе, & difficilior res est, Medicum esse, quàm quidem vulgo hactenus persuasum fuit. Quis enim eum pictorem (sunt verba Fernelii in præfat. sup. suam Medic.) *non in magna gloria & laude ponat, qui præter operis lineamenta & pigmentorum aspersionem, novit tabulam perpolire, colores iusta temperatione permiscere, penicillum in omne varietatis genus conformare? Contrà verò eum non vituperet, & tanquam rudem ignarumq; damnet, qui nullam istorum cognitionem habet, sine quibus maiora percipi non possint? Idem quoq; de Medicina*, inquit, *statuo: ut nemo hanc tentet vel à limine salutare, qui non anteà illis disciplinis* (Logicam intelligit, Astronomiam & Physicam) *meritam & iustam operam impenderit, sitq; illarum institutis liberaliter informatus.* Hæc ille.

Quocirca rectè dixit Homerus Odyss. Δ.


Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων
Ἀνθρώ-

'Ανθρώπων. ἦ γὰρ παιήονός εἰσι γενέθλης:
oc est: *Medicus unusquisq; supra omnes omines peritus: quandoquidem è Pæonis unt familia.*

Quæ omnia si illi, qui tàm frigidè de Medicina sentiunt, apud animum suum iligentius perpenderent, saniorem sine omni dubio mentem induerent: nec, ut ait Plato in Gorgia, *sicut pueri, vel imprudentes homines, (quibus de coquo & Medico, uter dignior sit, iudicium ferendum est) Coquum Medico non parum præstare censerent.*

Impru-
dentium
perversa
judicia.

Verùm hæc optimorum quorumcunque infelix est conditio, ut ipsis pessima quæq; vel anteponantur, vel æquiparentur. *Hinc enim iam olim factum conqueritur* Galenus lib. de Præcogn. ad Posthum. c.1. *ut ii, qui se totos voluptatibus dicârunt, voluptatum artifices ditârint, admirati fuerint, & eò usq; extulerint,* ut histrionum & aurigarum simulachra secus Deorum imagines collocaverint.



SECTIONIS TERTIÆ
Procœmium.

Etſi veritatem dicti illius *Hippocratici l. de Articulis t.* 9. (quòd Medicum multarum rerum peritum eſſe oporteat) luculentiſſimis argumentis confirmaverimus ac propugnaverimus : obſtrepunt tamen alii, qui *Fortunam in Medico requiri* clamitant, citra cujus opem nemo in Artis operibus feliciter verſari queat. A quo dogmate nec ipſe ferè *Hippocrates in Epiſtola quadam ad Cratevam miſsâ* abhorrere videtur. Quã ob cauſſam ille, qui χεῖρα habet πρακτικὴν, vel, ut *Germani* loquuntur, der eine gute Handt zu curieren hat / mirè vulgò commendatur. Eandem ob cauſſam homines eidem catervatim curandos ſe concredere geſtiũt: quantumvis alterius reſpectu, cui res in ſanando non æquè feliciter ſuccedit, minùs in Arte ſit verſatus. Quò illud priſcum *Agathonis* quadrare videtur: ἡ τέχνη τύχην, καὶ τύχη τέχνην ἔστερξε; *hoc eſt*, Ars Fortunam, & Fortuna Artem amavit. Quæritur itaque jàm; *an Medicus ex Artis præſcripto curans peculiari Fortunâ opus habeat?* Quæ quæſtio ut rectè à nobis explicetur, ſimplices, è quibus componitur, terminos antè omnia probè cognoſcere fas eſt.

Caput

Caput I.

Quid sit; Medicum ex Artis præscripto curare?

Quæritur primùm; quid sit, Medi-cum ex Artis præscripto curare?

Respondemus: *tunc Medicum ex Artis præscripto curare, quando Morbi naturâ accuratè cognita auxilia competentia exhibet.*

Cognovit *autem* morbi naturam: *sciverit, morbum esse vel Factum, vel Fi-entem; per se subsistentem, vel à Caussa conjuncta sustentatum; Organicum vel Non-Organicum; Simplicem vel alteri Complicatum; Benignum vel Malignum; Acutum vel Non-acutum: item quo in Loco consistat; & quæ sunt similia.* Ad quæ in cognoscendo morbo Medicus attendere debeat.

Nec satis est, ut hæc sciat, nisi insuper & Caussas tam præsentes, quàm absentes *calleat: illas quidem amovendi, has præcavendi gratiâ.*

Cùmq; Vires, seu Natura, *maximum ad curationem adferant momentum; utpote quæ solæ propemodùm morborum medicatrices*, veluti infrà l. 3. parte 2. *ex Hippocrate monstrabimus: ipsarum utiq;*

cogni-

cognitioni unicè item incumbere debet, ut videat, num morbo ferendo pares, impares ve futuræ sint.

Qua ratione ea cognoscere possit.

Cognoscet autem hæc omnia Medicus, Auctore Galeno in Arte Medic. c. 8. *partim ex iis, quæ secundùm essentiæ rationem insunt: partim iis, quæ ex necessitate consequuntur.*

Ab essentia *quidem ipsa eorum, quæ depravatam habent constitutionem. Quæ qualia sint*; vide suprà l. 1. part. 2. sect. 5. class. 3. c. 4. & ibid. c. 6. quæst. 1. membro 1. in Exceptione contra Tertium Notabile.

Ab iis verò, quæ ex necessitate consequuntur, *in Similaribus quidem è Mollitie ac Duritie, Colore mutato, Lævitate & Asperitate, nec non Functione læsâ: in Instrumentalibus verò præter Functionem læsam è Conformatione vitiata ac turpitudine totius instrumenti, item Excretis & Retentis præter naturam, similibusq́; cognoscet.*

Mollities ac durities, &c. non sem-

Sed notandum: Mollitiem ac Duritiem, Colorem mutatum, Lævitatem item & Asperitatem &c. *pro symptoma-*

...matibus, sive pro iis, quæ ex necessitate ...sequuntur, eatenus nos agnoscere; qua-...nus per ea partium operationes non læ-...ntur. Secus enim si fiat: pro morbis Cō-...rmationis haberi, atq; ad illorum clas-...m, quæ secundùm essentiæ rationem inesse ...cuntur, referri debent. per sunt symptomata.

Deinde Caussarum præsentium notitiam assequetur partim ex iis, quæ jam dicta sunt; partim è caussis modò absentibus. Has autem vel ab Ægro ipsomet, vel Ad-...antibus expiscari commodè poterit.

Deniq; Virium robur ex Ægri ante-...ctâ Vitâ, naturali Constitutione, morbi Naturâ, vel Diuturnitate, Anni tempore, Regione, Ætate, & similibus prudenter æstimabit.

His dextrè per Artem cognitis, quamprimùm de auxiliis cogitabit idoneis: quorum vires habeat perspectas, quòd caussæ præsentis ablationi, futuræ amotioni, morbi curationi, & virium conservationi inservire possint. Remedia quid præstare debeant.

Iis igitur inventis, & prudenter posteà adhibitis, ex Artis præscripto curâsse, & quæ sui sunt officii Medicus fecisse censendus:

ſendus: quicunq; etiam eventus curationem ſubſequatur.

Caput II.

De Fortunæ ſignificationibus.

Quæritur porrò, quid ſit Fortuna? Reſpondemus; *vocem eſſe æquivocam, ac proinde ſecũdùm æquivocationem, ſeu diverſas ſignificationes, definiendam.*

Franc. Piccolomineus l. de rer. definition. ſub titulo Caſus, Fortuna & Sors, mihi, pag. 135. *octo Fortunæ ſignificationes adfert: è quibus illas ſolùm, quæ inſtituto noſtro erunt accommodatæ, ſeligemus.*

Fortunæ ſignificationes.

Accipitur ergo Fortuna

I. Pro Finis, *quem ſibi quiſpiam propoſuit*, proſperâ adversâve adeptione.

II. Fortuna ſignificat cauſſam per accidens *in iis, quæ operantur ob aliquem finem ex electione, neq; ſemper, neq; ut plurimum, ſine ordine, ac ut res fortè ceciderit.* Ariſtotel. l. 2. Phyſ. c. 5. t. 51. & 52. nec non l. 2. magnor. moral. c. 14. *Hoc eſt: Fortunâ aliquid evenire dicitur, quando is, qui aliquid agit, alterius finis gratiâ id agit: interim tamen dum agit, præter finẽ intentum alio aliquo potitur.* E. g.

E. g. *Si quis vineam plantet, atq; ob* [h]*unc finem terram fodiat, accidatq́;, ut the*[s]*aurum præter omnem ſpem & exſpecta*[ti]*onem inveniat, is fortuitò theſaurum in*[v]*eniſſe dicendus.*

III. Sumitur Fortuna pro cauſſa la[t]enter cooperante, *& actionem fortu*[n]*ante: quam* Proclus *definivit, quòd ſit* [d]*æmoniaca & divina poteſtas.*

Hanc Ariſtotelem *quoq; agnoviſſe* [F]ortun. Crellius in com. ſuper præ[d]ictum Ariſtotelis locum è Phyſicis [ſ]*riò perſuadere conatur.*

Caput III.

De Fortuna Medici ſecundùm primam ſignificationem.

Primam ſignificationem quod attinet; [F]ortuna ab ipſa Medici, ex Artis præ[ſ]cripto operantis, actione ſejungen[d]a non eſt. *Cùm enim*, uti c. 1. monui[m]us, *tali Medico ad curationem ritè inſti*[t]*uendam & abſolvendam omnia accura*[t]*iſſimè ſint cognita;* ſi felix eventus cu[r]ationi reſpondeat, felix quidem & [f]ortunatus meritò appellari poteſt: [a]*t ſi res ſecùs ſuccedat, nec is ſperato fine po*-*tiatur,*

Medicus ex Artis præſcripto curãs verè fortunatus.

tiatur, infortunatus tamen dici nullo modo vel potest, vel debet; cùm Arti suæ confisus nihil eorum, quæ ad ægritudinem depellendam aliquid facere possint, prætermiserit. Multa enim esse, propter quæ, ut alii artifices, ita etiam Medicus finem suum semper non assequatur, hujus libri parte 2. sect. ult. *dictum est.*

His consentanea sunt, quæ Celsus adfert l. 7. c. 12. sub titulo de Lingua, *dum ait: etsi in Medicina perpetuum est, quod fieri debet: non est tamen perpetuum id, quod sequi convenit. Fieri enim non potest, ut Medicus omnes ægros sanet.* Hippocrates l. 1. Prognost. t. 3.

Vt autem optatum finem faciliùs & feliciùs consequatur, non parum momenti in ægri confidentiâ positum est; quam quomodò Medicus consequi debeat, sectione sequente *monstrabitur.*

Qui præter Artis præscriptum operatur, infortunatus.

Verùm si quis ausu plus quàm temerario in sacratissimam nostram Artē *irrumpat, ac citra huius cognitionem hominibus mederi non erubescat: is quia* præter Artis præscriptum *operatur, sive operatio benè, sive malè succedat; verè tamen infor-*

fortunatus nominandus est. Nam si Ar-
n didicisset, non tantùm aliter operatus;
rùm etiam fine suo potitus fuisset.

Huc referenda Hippocratis senten-
., *quæ habetur* l. de locis in homine
8. dist. Cornarii. *Mihi hi soli fortuna-*
aliquid assequi, itemq́ infortunatè non
equi videntur: qui rectè quid & malè
cere sciunt. Fortunatè enim assequi, est
ctè facere. Hoc autem, qui sciunt, faciunt.
on assequi autem hoc est; si quis non sciat,
proinde non rectè faciat. Indoctus autem
i est, quomodò fortunatè assequi possit?
si quid etiam assequatur, non sanè me-
orabilem successum habebit. Qui enim
n rectè quid facit, non fortunatè assequi
terit; cùm reliqua, quæ æquum est facere,
n faciat. Hæc Hippocrates.

Caput IV.

De Fortuna Medici juxta secundam significationem.

Secundam Fortunæ significationẽ quod PeritiMedici Fortuna non indigent.
ectat, uti eâ verus Medicus non indiget,
ipsam nec optare, nec exspectare debet:
m & cum Fortuna, & citra Fortunam o-
rari possit. Hippocrates loco citato
57. Cc Si

Si enim morborum medicament clara sunt & manifesta, *ut sunt; no expectant sanè Fortunam ad sanãdos mor bos, quatenus sunt medicamenta. Si ver ipsa cum Fortuna exhibere prodest: cert non magis medicamenta, quàm ea, quæ no sunt medicamenta, unà cum Fortuna ad hibita sanos facient.* Hippocrates ibi dem t. 58.

Imperiti Fortunâ egent.

Imperiti autem qui sunt, ii vel maxim Fortunâ istâ indigent; æquè atq; imperi mali gubernatores. *Vt enim istorum de licta tempestate tranquilla non fiunt mani festa; sed tum demum, quando ventus a tempestas aliqua gravior & grandior obo ritur, quæ navem submergit: ita etiam illo rum errata apud eos, qui è morbo, vel natu ra, vel temporis progressu minùs gravi e periculoso reddito, (quales multa ex parte & quidem gravibus frequentiores esse so lent) decumbunt, atq; adeò naturæ spon convalescere poterant, conspicua non eva dunt; nisi tunc, ubi in aliquantò graviùs de cumbentes incidunt.* Hippocr. l. de Ve teri Medicina t. 18.

Cumq; hi nec morbi naturam tenean

ne

[n]ec medicamentorum undecunque etiam [c]onquisitorum vim didicerint; si post medi[c]amenta, audaci temeritate exhibita, æger [à] morbo liberetur: verè ipsis Virgilia[n]um istud accommodare possis;

Audentes Fortuna juvat.

Et Celsi illud l.3.c.9. *Quos Ratio non restituit; Temeritas adjuvat.*

At hæc Fortuna, quantò maior est, tantò imperitiores sunt illi, quos iuvare creditur: tantoq́; minus salutis & commodi inde sperare possunt ii, qui periculosioribus morbis correpti sunt.

Rectè enim Aristoteles lib.2.Magn. moral. c.14. *ubi plurimum*, inquit, *est mentis & Rationis, ibi minimum est Fortunæ: ubi autem plurimum Fortunæ, ibi minimum est mentis ac Rationis.* Imperitia Fortunam gignit.

Quare scitè dicebat Polus apud Platonem in Gorgia sub initium: *Peritia efficit, ut vita nostra per artem incedat: imperitia verò, ut per Fortunam temerè circumvagetur.* Aristoteles l.1. Metaphys. c.1. *ita eloquitur: Experientia Artem efficit, Imperitia verò Casum.*

CAPUT V.

De Fortuna Medici secundùm Tertiam significationem.

Fortuna quatenus pro caussa latenter cooperante, *& actionem secundante, accipitur: ita dividi potest.*

Fortuna alia connata *est: alia* aliunde communicata.

Connatam *appello; quæ per singularem Naturæ gratiā quibusdam concessa est.*

Exempla Virtutum connatarum sanandi quosdam morbos.

Ob hanc igitur genus quoddam hominum in Hellesponto circa Parium degentium, quos Crates Pergamenus *Ophiogenes vocat, serpentum ictus contactu levat, & manu impositâ venena extrahit.*

Ob eandem Psylli & Marsi odore, contactu vel suctu, serpentibus terrori sunt. Plinius l.7.c.2. l.21. c.13. & l. 28. c. 3. Solinus c.8. & 40. Celsus l.5.c.27. sub titulo, curationes communes, adversùs omnes serpentium morsus, *audaciæ usu confirmatæ hoc adscribit.*

Ob eandem Pyrrhi Regis dextri pedis pollex lienosis tactu medebatur. Plinius l. 7.c.2. & l.28.c.4.

Per eandem Galliæ & Angliæ Reges manus

us contactu scrophulas & strumas abigere creduntur. Guido de Gauliaco Chirurg. tr. 2. doctr. 1. c. 4. sub titulo, de nodis, glandulis, scrophulis, &c. Polydorus Virgilius l. 8. Histor. Angl. secundùm allegationẽ Martini Delrio Disquis. Magic. l. 1. c. 3. quæst. 4.

Propter eandem Hispanorum quoddam genus, quos Salutatores *vocant, quiq; in certa quadam corporis parte expressa rotæ semifractæ figurâ notati nascuntur, à cane rabido demorsos sanare, & sine læsione ignis flammam sustinere dicuntur.* Franc. Tiraquæus in l. de abusu Medicinæ mihi pag. 181.

Aliunde communicatam *dico; quæ Deo proficiscitur.*

Hanc nonnulli Mediatam *faciunt; vel* Immediatam.

Mediatam *vocant; quæ Geniis mediis;* Immediatam, *quæ Deo proximè cooperante perficitur.*

Quantum igitur ad Connatam *attinet; quamvis ipsam nonnulli per χειρουργικὴν innuere videantur: verus tamen Medicus (de quo nobis in præsentia solùm* Connata virtute Medicus ad sanandum non eget.

sermo est) eâ non indiget. Nam si ea polleret

I. Arte non indigeret. *Hûc iterum quadrat* Hippocratis locus è lib. de loc. in hom. t. 58. *qui c. 3. à nobis recensitus fuit.*

II. Omnes morbos sanare non posset. *Exempla enim eorum, qui per peculiarem connatam virtutem certos duntaxat quosdam morbos sanâsse perhibentur, hoc evincunt. Quæ exempla num vera sint, vel secus: aliis judicandum relinquimus.*

Quòd si per caussam istam occultam naturalis quædam ad Artem Medicam proclivitas *& propensio intelligatur, propter quam vulgò cum* Horatio *dicimus;*

Tu nihil invitâ dices, faciesve Minervâ:

Sanè non diffitemur, plurimum ipsam adjumenti ad Artem cùm discendam, tùm exercendam facere. Hæc enim caussa fuit, ut Hippocrates in sua Lege (veluti sect. præcedente cap. 6. monuimus) *Naturæ primas inter reliqua, quorum adminiculo Artem consequi possumus, tribueret.*

Verùm nativa ista inclinatio sola non sufficit: *nisi proba Artis peritia acce-*

Absq; hac enim si sit, tunc is, qui incli-
sione naturali prædituus est, vere felix di-
on potest.

Deinde quod ad Genios *spectat, quate-* Geniis quatenus egeat Medicus.
ii pro bonis Angelis accipiuntur, eate-
s etiam à nobis ipsorum ministerium pe-
Medicos pios meritò admittitur. Sacris
ippe literis edocemur, Deū Opt. Max.
s hominibus angelos custodes, & susce-
orum operum adjutores cùm promisisse,
m adjunxisse, ut videre est Genes. c. 24.
7. Exodi c. 23. v. 20. Psalmo 34. v. 8.
salmo 91. v. 11. & alibi passim.

Sic igitur in l. Tobię c. 6. *legimus, quòd*
obiæ Iuniori ab Angelo Raphaele gemi-
um medicamentum fuerit monstratum:
uorum altero spectra abegit, altero oculo-
um albugines patri persanavit.

Quatenus verò Genii vel pro spiriti- Geniis quatenus non egeat Medicus.
bus familiaribus, vel hominibus spi-
ritualibus, *quemadmodum nominantur*
Paracelso l. de Nymphis, Sylphis,
Pygmæis, Salamandris, &c. *accipiun-*
tur: eatenus ipsorum ministerium pio Me-
dico neutiquam expetendum.

Quid enim sint spiritus illi familiares Spiritus
Cc 4 *& ho-*

familiares sunt Dæmones.

& homines spirituales aliud præter ipsos Diabolos? Præter hos enim & bonos Angelos Genios alios non dari passim sacræ testantur literæ: inprimis Johan.c.8.v.44. Epist. Petri 2. c.2.v.4. Judæ v.6. Apocalyps. c.12.v.8.& seqq.

Atqui Deus severè vetuit; ne de salute humana consulamus Dæmones. Vide: quæ suprà l.1.part.2.sect.5.class.3.c.6.quæstione 5. de Curatione per Fidem in Dæmonem scripta sunt.

Medicus Fortuna Dea gentilitia nõ eget.

Deniq; quod Deum *concernit, non gentilitiam illam Deam intelligimus: in quam* Plinius l.2.c.7. hæc scribit. *Invenit sibi ipsa mortalitas Numen, quo minùs etiam plana esset de Deo coniectatio. Toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibusq; horis, omnium vocibus Fortuna sola invocatur: una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conviviis colitur: volubilis, à plerisq; verò & cæca etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorum fautrix. Huic omnia expensa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium sola utramq; paginam facit.*

. Adeoq́ obnoxiæ sumus sortis, ut sors ipsa pro DEO *sit, quâ Deus probatur incertus.* Hæc Plinius.

Sed Dei *nomine verum illum & unicum Deum intelligimus, extra quem non est alius,* Exodi c.20. *Deum Israëlis*, ibidem c.29. Jeremiæ c.31. & seq. *cuius iustitiam annunciant cœli*, Psalmo 50. *& qui dixit populo Israëlitico* Exodi c.15. *Ego Dominus Medicus tuus.* Medicus Dei auxilio & benedictione eget.

Huius caussæ auxilium Medicus, quantumvis Artis suæ peritissimus, devotè implorabit : utpotè sine cujus Numine nihil est in homine.

Huic cooperanti (cuius cooperationem nos piè usitato atq́ apto nomine DEI *benedictionem nominamus.* Tidicæus loco, quo suprà.pag.183.) *actionis suæ felicem eventum Medicus acceptum feret* Paulli Apostoli *exemplum intuitus: qui* Epist. 1. ad Corinth. c.3. in hæc verba scripsit: *Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem dedit incrementum.*

Atq́ hoc ipsum vel Hippocrates *agnovit, dum* l.de decenti ornatu t.6.distinct. Cornarii ita loquitur: *Scientia* NB.

de Diis vel maximè animo ipsius (Medici scilicet) *implexa est. Etenim in aliis affectionibus, & in symptomatibus accidentibus, Medicina erga Deos valdè reverenter se habere comperitur. Medici verò Diis concedunt. Non enim est potentia in ipsa redundans. Nam & hi multa quidem aggrediuntur, multa verò etiam per seipsa, ipsis superantur.*

Idem fassus Japis Virgilianus. *De quo vide* Sectionis antecedentis c. 5.

Huc pertinet Epigramma Melanthonis, *quod habetur* l. 1. Epigram. *his verbis:*

Nullius est felix conatus & utilis unquam:
Consilium si non detq; juvetq; Deus.
Tunc juvat ille autem, cùm mens sibi conscia recti.
Mandati officii munera justa facit.
Et simul auxilium præsenti à Numine Christi
Poscit, & expectat non dubitante fide.
Sic procedet opus faustum populisq; tibiq;:
Diriget & cursus aura secunda tuos. *&c.*

SECTIONIS QUARTÆ
Caput I.
De Confidentiæ ægrorum utilitate: atq; ipsam conciliandi ratione.

Si usquam locũ meretur illud Horatii:

Tũ ni-

Tu nihil invitâ dices, faciesve Minervâ:
Medicina certè locum meretur. Quid enim Medicus ægro invito faciat? Profecto dum ægrum sibi fidentem habet: curatio longè feliciorem eventum sortitur. Fiducia enim & confidentia ægri in caussa est, ut æger erectiore sit animo, & magnam spem concipiat in porrectis medicamentis, veluti innuit Hippocr. l. præception. t. 4. & 5. dist. Cornarii.

Confidentia ægri quid præstet?

Ex adverso, si idem Medico diffidat; non tantùm difficilius sanatur; verùm etiam ut plurimum planè moritur. Atq; hanc solam fuisse caussam scribit Galeottus Martius de doctrina promiscua c. 15. *quòd omnes ægri mortui sint, quotquot* Drusianus, *vel, ut vulgò appellatur*, Turisanus *curandos suscepit: quantumvis tam doctus aliàs fuerit, ut* Plusquam-commentatoris *nomen meruerit atq; obtinuerit.*

NB.

Quòd si jam aliquis nos roget; qua ratione Medicus ægri fiduciam sibi conciliare debeat: cum

I. Ablegamus ad Hippocratis l. 1. prognost. t. 2. *Ita enim ibi* Hippocrates. *Præsentiens & prædicens coram ægro præsen-*

Prognosticorum utilitas quæ?

præsentia, præterita & futura, quæq; infirmi omittunt, enarrans; creditur magis agnoscere ægri conditionem. Hinc homines eidem se magis concredere audent.

Quomodò autem Medicus præterita præsentire, & futura prædicere debeat: prolixè docet Hippocrates in Prognosticis. *Quò Lectorem in præsentia remittimus.*

Pactum de mercede.

II. Hippocrates l. præceptionum t. 4. dist. Cornarii *suadet: ut quandoq; Medicus cum ægroto ante omnia de mercede paciscatur. Ita enim ægrum non solùm confidentiorem reddi; sed & à metu desertionis, neglectionisve liberari arbitratur.*

Pulsuum cognitionis utilitas.

III. Eidem fini assequendo pulsuum cognitionem *plurimum utilitatis adferre* Galenus *asserit.*

Huius enim beneficio Eudemũ *Quartanâ laborare deprehendit: tertiam eiusdem accessionem præsensit, finem didicit ac prædixit: ut testatur* l. de Præcogn. ad Posthum. c. 2. & 3.

Huius beneficio Pyladem *à Iusti uxore amari:* servum *præ metu contabescere:* Boëthi filium *clàm cibum capere:* Antoninum

num *febri minimè corripi*: Commo-
um *è faucium inflammatione laborare*:
veni *cuidam pulsum naturaliter inter-
ittere*, *&c.* *didicit*: quemadmodum
ribit ibid. c. 6. 7. 11. 12. & 14.

*Eiusdem ope alium clàm se purgans me-
icamentum assumpsisse animadvertit*. l. 1.
e præsag. ex pulsib. c. 1.

Vide suprà hujus libri part. 2. sect. 2.
ap. 4.

IV. *Nec contemnendum est eiusdem
nsilium*, *quod* l. 6. Epidem. sect. 4.
om. 8. *suggerit*. *Etenim non valdè læ-
entia*, inquit, *interdum vehementer ipsa
upientibus ægris exhibenda sunt*: *quando-
uidem nisi acceperint*, *Medicum sunt osu-
i & aversaturi*, *& nullum eius præceptum
bservari*: *Igitur necesse interdum est*,
uædam illis exoptata concedere, *nisi ma-
num sint detrimentum illatura*.

Ægris cur aliquando valdè petita nõ neganda?

Quod ipsum Hippocrates *etiam mo-
et* l. de affection. t. 40. dist. Cornarii.

Interim prædicito, inquit, *ab his ægro-
um læsum iri*, *teq; ipsi gratificandi caussâ
a concedere*: *sed in posterum te vicissim ab
o petere*, *ut in reliquis obedientem sese ex-
ibeat*.

Ob

Ob talem Medici liberalitatem & in-dulgentiam quosdam deinceps obsequentis-simos evasisse Galenus ait.

Quando non neganda.

Ita se multoties aquam frigidam *in illis morbis exhibuisse, in quibus die uno pòst eius usus requirebatur; similiter verò & de* balneis, vino, *atq; id genus aliis sta-tuisse* ibidem *fatetur: id solùm ægrotanti gratificatus, quòd optimum propinandi tempus præverterit.*

Verùm si morbus nec postridiè, nec pror-sus unquam ullo istorum egeat, ægroto ne-quaquam gratificandum censuit. Exiguam enim noxam, inquit, *futura posthàc lan-guentis obedientia emendare poterit: noxa verò adeò magna, ut extremum periculum inferat, aut morbum in longum tempus producat, non itidem deleri, & in pristinum redigi poterit.*

Remedia apud imperitos vernacula lingua non nominanda.

V. Galeottus Martius *hoc quoq; dat consilii* l. paullò antè citato: *ut apud im-peritum vulgus remedia non vernaculâ linguâ, sed aliâ nominemus. Vulgus enim,* inquit, *id aliquando optimum & salutife-rum judicat, quod non intelligit: quæ verò novit, si communia sint, & ipse molestissi-*

mo mor-

o morbo gravetur, nullam in ipsis spem ponens floccifacit.

Hausit autem istud consilium è Plinii 29.c.1. *Ita enim* Plinius. *Imò verò auctoritas aliter, quàm Græcè eam tractantibus, etiã apud imperitos expertesq; linguæ, non est. Ac minùs credunt, quæ ad salutem suam pertinent, si intelligunt.*

Caput II.

De ægri gratiâ conciliandâ in genere: & de Medici ad ægrum Introitu, Sermonibus & Figura in specie.

Confidentiam ægrorum auget Gratia. *Hanc autem consequitur Medicus* Introitu, Sermonibus, Figurâ, Vestibus, Tonsurâ, Unguibus, Odoribus: *de quibus agit* Hippocrates l. 6. Epidem. com. 4. t. 9.

Quia verò his omnibus & singulis Pseudo-Medici quoq; auctoritatem quidẽ apud alios, fiduciam verò apud ægrotos sibi conciliare student, ut ex iis, quæ sect. 2. cap. 7. *dicta sunt, nemini non patere potest: propterea quales veri etiam Medici in his sese gerere debeant, exponendum.*

Et pri-

Alii ægri sæpiùs, alii rariùs visitandi.

Et primò quidem cùm nonnulli ægrotantes à sæpius visentibus molestiâ se affici opinentur; alii contrà crebrò se invisi valdè lætentur: idcirco Medicus alios sæpiùs, alios rariùs visitabit.

Vbi tamen videbit, ne nimiâ vel frequentiâ *tam apud alios, quàm ægrotos* adulationis; *vel* raritate desertionis vitium *incurrat.*

Et quid juvat, toties more nonnullorum de die ad ægros currere? Neq; enim vel Ægro, vel Medico *ullum inde emolumentum surgit.*

Ægro *quidem; quia is sæpè è quiete turbatur; nec nova subinde medicamenta præscribere opus est:* Medico *verò, quòd is nec maiorem posteà gratitudinem ferè experiatur; nec nisi multas molestias, labores & corporis lassitudinem inde capiat.*

Quomodò Medicus ad ægros introire debeat?

Intereà ubi ad ægrum accedet, tempus & commoditatem *observabit, ne insanientium quorundam more, aut cum multò strepitu & elata voce in dormientium conclave irruat, & ægros è somno excitet; aut incessu, aspectu, aliove aliquo huiusmodi minus decoro coram ægris compareat: quæ*

omnia

*nia ægros offendere, & ad iram commo-
re possunt.*

Sermones *deinde inter præcipua sunt.
ergo Medicus*

Quales sermones Medicus apud ægrotum habere debeat.

I. Humanus, moderatus & jucun-
s; *ita tamen, ne gravitatem sibi compe-
tem deponat.*

II. Non fabulas aut scurrilia lo-
atur.

*III. Ab ægrotante de salute recupe-
nda interrogatus, non Callianactæ instar
uius meminit* Galenus l. 6. Epidem.
ct. 4. com. 9.) *rusticè & importunè re-
ndeat: Morieris.*

Nam Patroclus obit, te qui præstantior ipso.

*l, ut alius superiori tempore: Moriaris sa-
n. Risum enim hæredibus relinques.* Bru-
o Seidelius de Morb. incurab. p. 98.

Mors ægro ipsi non prædicenda.

*Ut enim homines probi amicis impen-
ntes calamitates, quas effugere nullo mo-
possunt, non prædicunt: ita* Medici,
uaquam ægros ex hoc vel illo mor-
o morituros sæpè intelligunt; ægris
men significare non debent. *Par-
ndum enim est humanæ infirmitati: ne
Medicus, qui corporis tuendi gratia adest,*

consternationis animi caussa fiat; quæ deinde in vitæ detrimentum redundet. Seidelius ibidem. *Quippe omnes natura ad mortis mentionem exhorrescimus; cùm pœna sit, quæ neminem per se delectare potest.* ibidem pag. 97.

Sed propinquis. *IV. Quòd si ægro moriendum esse cognoverit;* propinquis *id commodiùs indicabit.*

V. Ipse non moribundos solùm, sed omnes in universum ægros spe salutis recuperandæ solabitur; utq; iis, quæ præceperit, morem sedulò gerant, hortabitur.

VI. Inculcabit nimirum illud Hippocratis 1. aph. 1. *quòd non sufficiat, ut* Medicus *diligens & fidelis sit: sed requiri, ut tum* Æger *Medici monitis salutaribus diligenter obtemperet; tum* Adstantes, *quæ sui sunt muneris probè exsequantur, & reliqua* Exteriora *omnia ritè comparata sint.*

Quomodò autem Medico Æger obtemperare, Adstantes suum munus obire, & Externa ritè comparata esse debeant: Vide part. 2. sect. 3. c. 3. & 4.

Quali cor Figuram corporis totius *in introeundo*

do & sedendo Medicus neque humilem poris figura Medicus debeat esse præditus
(?)eferat, ut contemptum mereatur: neque
(?)i quodam atque superbiâ turgētem. Qui-
(?)a enim extenti & patentes introeunt
(?)dent: nonnulli fracti & molles: alii
(?)ò proni atque abjecti. Itaque omnes
(?)essus devitandi sunt, & inter eos medio-
(?)m esse tentandum est.

Quòd si nonnunquam (id quod rarò e-
(?)eit) æger humilitatem & abjectionem
(?)andam amare tibi videatur, à mediocri-
(?)e ad humilius te descendere, humilioremque
(?)osum effingere satius fuerit.

Si verò è cōtrario sese habeat, & tu con-
(?)ria facito, paullo à mediocri & naturali
(?)ditione ad alterutrum latus declinans.
(?)al. l. 6. Epid. sect. 4. com. 9.

Faciei figuram Hippocrates l. de
(?)edico t. 1. dist. Cornarii meditabun-
(?)m esse vult ac subtristem: non tamen a-
(?)arulentam: ne contumax esse, & homines
(?)isse videatur. Qui verò in risum ex-
(?)lutus est, ac nimiùm hilaris, onero-
(?)s judicatur.

Caput III.
De Medici Vestibus, Unguibus, & Odoribus.

Quales vestes Medicus habere debeat?

Vestes nec sint valdè sumptuosæ, sive ut Hippocrates loquitur l. de decenti ornatu t. 2. dist. Cornarii, *ad superfluitatem paratæ, ut superbiam vel arrogantiam aliquam indicent: nec plus æquo viles, ut spurcitiem ostendant: sed decoræ,* Hippocrates l. de Medico t. 1. dist. Cornarii, *hoc est, Medico dignæ.*

Quanquam verò Galenus eodem, quo antea, loco *suadeat, ut Medicus ad illos ægrotos, qui preciosas, preciosis; qui verò sordidas amant, sordidis indutus vestibus accedat: tamen posterius cùm à Medici persona alienum, tùm ob multitudinem & diversitatem ægrotantium invisendorum parum ipsi conveniens esse videtur. Etenim quoties alium ægrum inviseret, toties ipsi vestes mutandæ essent.*

Tonsuram capillorum *illam eligat; quæ sanitati accommodatior. Talis autem illa videtur esse, quâ longior coma præciditur: modò quis vel raros capillos, vel calvitiem non habeat.*

Aliâs

Aliâs longiorem comam facilè ...itis dolores & gravedines (*ne quid ...m de gravioribus malis*) comitari ...ent; *cum ipsa vapores, in caput subinde ...mantes, liberè vicissim exspirare non ...atur. Foris quoq; aliis cutis turpitudini- ...ut sunt* furfures, pediculi, *&c. occa- ...em suppeditat.*

Longioris comæ incommoda.

Ex adverso coma præsecta craniis ...iditatem & firmitudinem adfert, ...*xternas iniurias faciliùs ferant. Quam ...caussam Ægyptiorum capita ita firma ...scribit* Herodotus l.3. *ut ea vix jactu ...idis elidi possint: Persarum capitibus ...trà ob caussam contrariam admodum ...gilibus exsistentibus.*

Comæ præsectæ commoda.

Ungues *præsertim in Chirurgo (quem ...loci, qualis esse debeat, instruit) neq; ex- ...dere, neq; deficere jubet* Hippocrates l. ...iis, quæ in Medicatrina fiunt com. ...c. 20. dist. Galeni.

Ungues quales Medicus habere debeat?

Etenim cùm ungues iuvandæ apprehen- ...nis gratiâ à natura digitorum apicibus ...iuncti sint; Gal. l.1. de usu part. c.10. ...*usto minores essent, neq; omnes moles, ne- ...e ita benè manus apprehenderet. Si verò*

Unguium utilitas.

nimium luxuriarent ac prominerent, præ-terquàm quòd per se dedecori forent, sordes etiam multæ sub illis colligerentur.

Medicus non debet morbo aliquo notabili laborare.

Quæ omnia Medicum aspectantibus abominabilem reddere possunt: veluti & *illa, si ipsemet vel* scabie, *vel* alopeciâ, *vel* porrigine, *vel* articulari morbo, *vel alio aliquo affectu præter naturam affi-ciatur.*

Nam quemadmodum Alexãder Magnus *Callisthenι, occasionem se calumnian-di aliis præbenti, dixisse dicitur* apud Plutarchum in Alexandro; *Odi sapientem qui sibi non sapit: ita alius tali Medico dicere posset; Odi Medicum, qui sibi non medetur. Vnde illud;* Medice cura teipsum. *Et; alios curans ipse ulceribus scates.*

Medicus bonam corporis constitutionem habere debet.

Cumq; vulgus eos, qui bono colore & bonâ ac carnosâ corporis habitudine pditi sunt, aliis, quibus talia denegantur, longè præferre soleat; *existimans eum, qui sui corporis curam diligentem habet, pari fide & diligentia aliis prospicere posse: idcircò.* Hippocrates l. de Medico sub initium monet, *ut* Medicus *operam det, quò* bonum colorem

bonam ac carnosam corporis constitutionem possideat, *iuxta inexistentem in ipso naturam.*

Vbi diligenter notandum; quòd Hippocrates adiecit, juxta inexistentem naturam. *Hoc ipso enim innuere voluit; eos, qui naturâ graciles sunt & minùs carnosi, (quales cum melancholicis sunt biliosi) propriæ sibi naturæ colorem & corporis habitum conservare debere: cùm ipsorum corpora in tantam (quantam sanguineorum & pituitosorum) molem nunquam augeri queant. Ob hanc caussam* Joh. Baptista Montanus in com. super Avicennæ l. 1. fen. 2. doctr. 1. c. 3. mihi pag. 184. *in hæc verba scripsit: credo, quòd si tenerent me, sicut tenent capones, ut pinguescerem, non possem excrescere magis, quàm sum. Ratio est: quia ab ipso ortu non sum nactus talem temperaturam.* Natura graciles non pinguescunt.

Ad quæ si attendisset barbarus ille ad summum Principem legatus, (cuius meminit Kirstenius de vero usu & abusu Medicinæ tr. 1. c. 1. pag. 15.) *summi illius Principis Medicum cubicularium primarium, corporis quidem habitu macilentum,*

tenuem & quasi exsuccum, artis verò usu & dexteritate excellentissimum non repudiasset; imò verò præ altero, qui corporis habitu pœnè fuit athletico, ad se admisisset.

Medicus non debet olere

Restat Odor: *quem* Hippocrates l. 6. Epidem. sect. 4. t. 9. *ultimo quidem loco; in* l. verò de Medico post initium *tertio statim collocavit ordine.*

Is igitur suavis *esse debet*, non teter: *à quo ægrotantes lædi possint.*

Teter *autem* odor *aliis à natura contingit: aliis per incuriam.*

Hircum.

A natura *quidē cuidam Asiatico* axillæ hircum oluerunt *tantoperè, ut vix ullus elegantior ægrotans eius accessum ferre posset*: alius *verò* ex ore putidum fœtorem spiravit; *quem cùm lotione, tum amomi, aut folii malabathri masticatione & comestione crebra corrigebat.*

Per incuriam *nonnulli fætorem contrahunt, si vel* cepas, *vel* allium *comederint, aut* vinum *biberint.*

Cepas.

Postremum Romæ Quinto *obtigisse* Galenus refert l. 6. Epid. com. 4. t. 9.

Vinum.

Cùm enim à prandio divitem quendam ac præpotentem hominem vini odorem spirans

rans

*as visitaret, atq; æger ob febris vehemen-
m dolore capitis affligeretur, viniq; odo-
m à* Quinto *exhalantem ægrè ferret:
longiùs aliquantò recederet, ab ægro satis
odestè rogatus.* Cui Quintus *respon-
ens, præcepit, ut æquo animo vini odorem
rret: cùm ipse ægrotum ex febri malè olen-
m sustineret. Multum verò interesse,
brim ne quis, an vinum redoleret.*

*Quæ ipsa responsio non dicam Medico;
d ne homine in universum prudente di-
na fuit. &c.*

SECTIONIS QUINTÆ
Caput I.
De Calumnia in Medicos propter excrementorum inspectionem sparsâ.

*Sunt nonnulli; quos verè ad calumnian-
um natos dicere possis. Vt enim Medicinæ
ipsius cultoribus maculam aspersisse, ad-
óq; honori ac dignitati ipsorum aliquid
etraxisse videantur: nescio, quæ non in
psis reprehendant, quæve sordida non ebii-
iant: persuasi forsan* fabulâ illâ, quæ de Aescu-

Fabula de

Æsculapio & Hippocrate.

Aesculapio & Hippocrate *satis contu-meliosè circumfertur: quod ipsos vel retri-menta gustare nō puduerit, ut in morbi na-turæ cognitionem penitiùs penetrarent.*

Quæ caussa fuit, ut illum Aristopha-nes scopticus *per contumeliam* σκατοφά-γον *(quo verbo is significatur, qui ciborū ve-scitur superfluitatibus) appellaverit:* Cœl. Rhodiginus lect. antiq. l. 29. c. 13. *&* *Medicum* ὀρροπότην. Zuingerus in Exa-mine Princip. Chymic. c. 13. pag. 242.

Inde igitur sine dubio putidus iste rhy-thmus postea consutus est:

Stercus & Urina Medicorum fercula prima.

Atat! quis sanæ mentis credat, Medicinæ istos Principes, Aesculapium & Hippo-cratem, *eò dementiæ pervenisse, ut tale quippiam vel per febrim, aut somnium un-quam cogitaverint, ne dicam perpetrave-rint? Nobis equidem nemo id persuaserit, si vel maximè* Demosthenem *eloquen-tia superaret.*

Fabulæ illius origo.

Interim talia de ipsis per contumeliam sparsa sunt: & quidem propterea, quòd corporis illa purgamenta non rarò intuiti fuerunt, *quò in affectuum præter*

naturam

naturam notitiam meliùs deducerentur.

Qui mos hodie etiamnum, pro loco, tempore & personis, non sine ullo penitùs emolumento observari potest: veluti è sequentibus patebit.

Caput II.
De Urinæ inspectione.

Vt de Lotio primo loco aliquid dicam: nisi id Medicus quandoq; inspiceret: quomodo de Humorum cruditate & maturitate, Morborum incremento & decremẽto, Crisi, & si quæ sunt alia, erudiretur? Urinæ inspectionis utilitas.

Vbi tamen sciendũ: quòd ut in rebus aliis omnibus; ita etiã in urinæ inspectione modus servandus sit. Neq; enim omniũ omninò morborum vel natura ex iis cognosci, vel eventus prædici potest, præter illos; qui ex humorum in venoso arterioso q; genere (& quod his affine est) contentorũ, itẽ partiũ, quas urina præterlabitur, vitio dependent. Gal. l. 1. de Crisibus c. 7. Quò usq; prognosticon ex urinis extendendum.

Secus qui sentit: is non solùm urinæ generationis ac naturæ penitus ignarus; verùm etiam quàm triobolares Uromantes nihilo doctior sapientiorq; esse videtur.

Quocirca prudenter Langi⁹ l. 1. Epist. Medic.

Medic. 11. & l. 3 Epist. 6. *monuit, ut Medici in lotii inspectione cautiores essent.*

Addo ego; non tam è Medicorum esse existimatione, quàm ægrorum salute; si illi nõ plebem solùm, sed & eos, qui supra plebẽ aliquid sibi sapere videntur, diligenter doceãt, quantum & quousq; urinæ inspectioni fidendum sit: *quò præconceptam illam opinionem, de omni morbo è lotii inspectione cùm planè, tùm plenè cognoscendo, ex animis tandem deponant.*

Periculosum soli urinarum inspectioni idere.

Quàm enim dubia & periculosa res sit, soli urinarum inspectioni insistere ac confidere; si quid aliud, febres *certè* malignæ *abundè testantur: quæ ut plurimum cũ sanis quoad bonitatem, certare possunt; ægro interim in maximo vitæ discrimine constituto.*

Ægris nõ visis minus recta consilia dari possunt.

Nec dubito; alios hac in re mihi assensuros esse. Ita enim & Galenus ęgris absentibus & non visis, minùs confidenter in mediũ cõsuluit. *Liquet hoc ipsum è* documento de puero Epileptico. *In eo n. disertè atq; expreßè scribit; quòd cùm puerũ, pro quo Cęcilianus consilium ab ipso petebat, nunquam viderit, fortassis multum decipi*

cipi

pi atq; errare possit. Si qui verò à me dis-
senserint, & soli Uromantiæ fidendũ con-
tenderint; eos non absimiles judico Medicis
Alexandrinis; qui, ut auctor est Galenus
6. Epid. com. 1. t. 2. ægro nõ viso, & mor-
bo nõ explorato, remedia nihilominùs præ-
scripserunt. At cum quanto hoc coniunctũ
st periculo, quis, quæso, non videt?

Quid? quòd una ista triobolaris & sor-
dida urinarum inspectio Medicorum
existimationi non parum detrahere vide-
tur. Ob hanc enim non rarò factum compe-
rimus, ut rudiores plenas urinarũ ampho-
ras ad Medicos detulerint: atq; ex urina in-
specta tanquam Apollinis tripode ipsos re-
spondere quidvis & divinare posse confisi
sint. Vide suprà l. 1. parte 2. sect. 5. class.
3. c. 5. membro 3.

Urinarũ inspectio Medicorum existimationi detrahit.

Hâc etiam de caussa sæpè evenit; ut qui
lotium ferunt, vel ægro non viso, & nul-
lâ affectus delineatione instructi, ad Medi-
cos accedant: vel utrumq; fraudulẽter dis-
simulent. Quorum illi quidem ob ignoran-
tiam nonnihil excusandi, & proinde à Me-
dico rectiùs informandi, atq; ad ægrum vi-
cissim ablegandi sunt, ut præter lotium qua-
lem

Fraudes eorũ, qui urinas ad Medicos ferunt.

lem qualẽ affectus διαγεϕὴν referãt. hi verò, quia Medici decipiendi & fallendi gratia adveniunt, acrius etiam & acerbius obiurgandi, quò in poſterum à talibus fraudibus abſtineant.

Taceo; quòd non rarò jumentorum urinas ad deludendos Medicos offerre ſoleant.

Hiſtoria. Quale quid vicino cuidam Uromanti in Wetteravia, (qui ẽ Parocho Medicus, ſi Diis placet, factꝰ eſt) homini maximè temerario, eveniſſe novimus. Cui cùm ruſticus quidam vaccæ lotium obtuliſſet, isq; ruſtici uxoris eſſe ratus, uxorem gravidã pronunciaret: ab ipſo ruſtico non parũ ſuo quidem merito deriſus fuit.

Aliquando & id à nonnullis fieri videas, ut Medicum non de morbo conſulẽdi, ſed lotii duntaxat inſpiciendi cauſsâ adeant. Quaſi verò è ſola lotii inſpectione commodi aliquid in ægrum redundaturum ſit. Poſſet enim iſtud non ſaltem à Medico; ſed quovis etiam ruſtico æquè benè aſpici.

Cauſæ cũr nonnulli lotium à Medico inſpici volunt. At eo plerunq; fine Medicos conveniũt; ut nũquid vel æger moriturus, ipſis verò de adeunda hæreditate ſpes in propinquo ſit; vel venenum biberit; vel gravida

aliqua,

qua, *aut aliter affecta sit, cognoscant. uasi verò & de his Medicus solidi aliquid urina prædicere possit.*

Apage *igitur* sis cum sordida ista lo. inspectione, & temerariâ ac fallaci eodem divinatione! *quisquis non editorum tantummodò in universum, & tuam in specie existimationem sariã tamq; conservatam cupis.*

Nec difficile esset turpem istum Uromã-e abusum *abrogare, atq; ad corvos able-re; si omnes, qui in una aliqua civitate gunt, Medici consentirent, imperitos re-iùs instituerent, numulisq; aliquot parvo mpore carere vellent. Postea enim homi-bus hac de re rectè edoctis, sine dubio & tti iustus honor haberetur, & honesta quo-ue præmia non defutura essent,* benedi-ente Deo curis atq; laboribus Me-icorum, *in re planâ, apertâ, iustâ, legiti-nâ, rectâ, & cum veritate consentiente.* runo Seidelius de morbis incurabi-bus pag. 86.

Uromantiæ abusus quomodò tolli possit?

Caput III.

De alui recremẽtorum inspectione, & calumniæ in Medicos sparsæ retorsione.

Alvi

Alvi excrementa aliquando inſpicienda:

Alvi recrementa quod ſpectat, utile eſt ut & ea aliquando inſpiciantur. Quomodò n. niſi id fiat, Lienteria à Diarrhœa, & hæc à Dyſenteria *distingueretur? quomodò de felici purgantis medicamenti effectu certi eſſe poſſemus? Etenim ſi, qualia oportet purgari, purgentur, confert & facilè ferunt;* Hippocr. l. 1. aph. 2. 23. & 25. lib. 4. aph. 2. & 3, l. 6. Epidem. ſect. 4. t. 12. *ſin contra, difficulter.* 1. Aph. 25. *Imò & urinæ, & alvi excrementa, & ſudores, quæcunq; apparuerint, vel bonam morborum judicationem, vel malam; vel breves, aut longos fore morbos oſtēdunt.* ibid. aph. 12.

Vbi fauces dolent, aut puſtularũ eruptiones oriuntur in corpore, excrementa ſpectare oportet. Nam ſi biliosa fuerint, una corpus ægrotat: ſi verò ſanorum excrementis ſimilia, tutò corpus alere poteris. lib. 2. aphor. 15.

Verùm ab adſtantibus, non autem Medico ipſo.

Alvi autem purgamenta, ut ipſe Medicus contempletur, neceſſarium non eſt. Poteſt enim hoc ab adſtantium aliquo *cōmodiùs fieri, & Medico demum ſignificari.*

Quapropter non inſcitè rhythmum illum, contra Medicos malè conſarcinatum,

in Me-

Medicorum contemptores retorsit, quisquis etiam fuit, qui dixit:

Nobis sunt signa, sed vobis fercula digna.

Quibus epulis ipse etiam Agrippa *ditissimus erat: qui* l. de vanit. scient. c. *. Medicos ob retrimentorum istorum inspectionem mirè exagitavit. Cuius scommata tanti nõ æstimamus, ut ipsa hoc in loco operosius confutemus. Qui n. sanæ mentis fuerit, nauci ea esse, & ex animo, temerè quævis cavillandi & suggillandi studioso, profecta ultrò confitebitur.*

SECTIONIS SEXTÆ
Procœmium.

Hactenus contra illos, qui extra artis nostræ professionem constituti sunt, disputamus, ac contra eosdem, quâ fieri potuit diligentia, *Medicinæ dignitatem & præstantiam* asseruimus: jam tandem cùm ad *Artis nostræ Professores*, tum ministros *Pharmacopœos & Chirurgos* oratio nostra cõvertenda, & quid ipsi non quidem in Medicina, sed Medico potissimùm culpent, & quo iure quidẽ culpent, considerandum. Quia verò id, quod ministri prætendere solent, ab ipsis quoq; Artis nostræ Professoribus adfertur; idcirco utrisq; unâ à nobis *præsenti hac sectione* satisfaciendum.

Caput I.

De rationibus, quibus nonnulli persuadere conantur, non licere Medico vel medicamenta componere, vel Chirurgicas operationes exercere.

Medicus ipse remedia præparans ægro facilè nocere potest.

Ergò, inquit Erastus parte 3. disput. adv. Paracelf. p. 85. *salutarem fuit consilium eorum, qui pharmaca ab aliis vendi & præparari voluerunt: ut non possit Medicus seu odio, seu precio adductus, unquam nocere: fel scilicet pro melle, & venenum pro remedio propinando, ut è similium sententia loquitur* Rulandus progymnasm. Alchem. q. 10. *Quippe qui solus medicamenta præscribit, parat, & præbet, ut ius habet vitæ & necis: sic impunè sæpe occidit.* Renodæus l. 2. Inst. Pharmaceut. c. 2.

Quid? quòd eo ipso remediorum suorum & industriæ censuram formidare; lucro, pharmaca æquo cariùs divendendo, inhiare; Erastus ibidem: *falcem in alienam messem iacere, ac rem ab artis suæ dignitate alienam, imò ob ægrorum invisendorum multitudinem plane impossibilem, tentare videatur;* Riolanus in mania Libavii p. 61.

...i. *utpote cuius sit præscribere, non autem ...rari.*

...Carbones n. inficiunt, fumus denigrat, ...is exiccat, herbarũ virulenti odores, me-...orum noxii vapores, universum elegan-... Medici corpus contaminant. Zuinge-...in Examine princip. Chymic. c. ...pag. 242. sed per ironiam.

...de concludunt.

... *Recte* Hippocratem, *ad sanandum ...mocritum vocatũ*, Cratevæ *mandâsse, ...a quæ remedia colligere, tum quibus va-...singula asservare deberet.* Hippocrates nõ præparavit medicamenta.

...II. *Recte* Galenum l. 6. Epid. com. ...1. *Medicum à ministris distinxisse*: l. 7. comp. med. sec. loc. c. 3. *Pamphili*; ibid. c. 4. *Antonii Pharmacopolarum ...minisse*: *& cùm Romæ esset; civitatis ...rem secutum Chirurgis manuales curã-...um facturarum operationes permisisse*, ...efert l. 6. meth. med. c. 6. sub finem. Galenus Romæ non exercuit operationes Chirurgicas.

...Atq; hæc sunt, quæ inter alia multa, sed ...noris momenti, Medico *cùm domi suæ* ...media *quædam pro usu familiari* com-...nẽti, *tùm* chirurgicas operationes ...*uando* exercenti, *quidam objicere so-*

lent. Quæ quantum veritatis obtineant, iam declarabitur.

Caput II.

De rationibus generalibus; quibus probatur, quòd liceat Medico cùm medicamenta componere, tùm Chirurgicas operationes exercere.

Instrumentorū Medicorum triç generª.

Tria *esse* Instrumentorum genera, *quorum ministerio pro Artis suæ fine consequendo Medicus utitur, omnium benè medentium calculo hactenus comprobatū est. Sunt autem illa partim* Diętetica; *partim* Pharmaceutica, *partim* Chirurgica.

Inter quæ istud est discriminis: quòd levius peccatum in Diæteticis *commissum reliquorum respectu minus adferat periculum: maius in reliquis; maximū verò in* Pharmacia.

Diætetica coquis commendari possunt.

Quam ob causam Diætetica *quidem coquis & mulierculis (præmissa tamen sufficienti informatione) Medicus confidētius commendare potest: at non pari facilitate & fiducia aliis* reliqua, *nisi ministros in talibus habeat exercitatissimos.*

Verùm ubi quis tales facilè inveniat? Cùm pluri

rima enim ipsorum parte ita passim cō- atum esse videmus, ut vix annos in- tutioni dicatos cum gratia sustinere lint; quin ocyus à magistro manu mitti tulent. Manu autem missi de officina opria quamprimùm instruenda, (in qua uli quidem remedia, pyxides verò vene- habeant. Agrippa de vanit. scient, 84.) mox uxore ducenda, deniq; tyroni- us instituendis cogitationes suscipiāt: cùm men ipsi omniū pœnè sint rudissimi, quiq; rtem vix oscitanter à primo limine salu- arunt. Digni scilicet, qui plures adhuc an- os alteri exercitato artifici serviant, quò leniorem & exquisitiorem Artis cognitio- em sibi comparare possint. Hi itaq; non at- endunt ad id, quod vulgò dici solet:

Caussæ imperitiæ Pharmacopœorum & Chirurgorum hodiernorum.

Quodq; parum novit, nemo docere potest.

Hinc publica tam Pharmacopœorū, quàm Chirurgorum nata est calamitas: ut è tanta ipsorum turba vix unum aliquē reperias, qui ultra reliquam plebem aliquid sapiat, cuiusq; ministerio satis tutò & confidenter uti possis.

Num igitur male fecerit Medicus, si istorum ruditatem aversatus, & negligentiam

Caussæ, cur Me-

dicus cogatur aliquando Pharmacopæi, aut Chirurgi munia obire.

(quæ plerumque coniungi solet) veritus, ipse aliquando vel domi suæ peculiaria quædam medicamenta *composuerit; vel foris, certis tamẽ in casibus, nec sine discrimine,* Chirurgicas operationes *exercuerit? Equidem supina istorum ruditate, non secus ac stimulis quibusdam compellitur, ut id nonnunquam vel invitus faciat.*

Magistratus sæpè in caussa est imperitiæ Pharmacopœorum, & Chirurgorum.

Et poterat fortassis talibus laboribus bona cum gratia Medicus supersedere; si magistratus suũ faceret officium: *ac cuilibet vel* Pharmacopœum, *vel* Chirurgum *se professo priùs nõ crederet, quàm pro loci conditione Medico, vel Medicis, Artis suæ & notitiam, & industriam sufficienter probavisset.*

Quod cùm communiter nequaquam observari soleat; idcircò Medicus *culpâ erit vacuus, si utriusque personas aliquando, & quidem coactus, induat.*

Ac licet interdum ministri ad manus haberi possint: adeò tamen rudes ipsi sunt, ut præstet, eos procul abesse, quàm cum ægri periculo adesse.

Cur Medicinæ Doctores creemur?

Porrò creamur in Academiis Medicinæ Doctores. *Atqui non Doctores solùm,*

n, sed & factores ipsius nos esse convenit: *m* Medicina tota non in cognitio-e, sed operatione consistat: *quippe ius officii est, omnibus machinis sanitatē tari, & morbos depellere. Quomodò au-m Medicus hoc ipsum præstabit, nisi ipse-et operi manum admoverit? Ministris im totam rem committere, tutum semper n est.*

Caput III.

De caussis, propter quas Medici debent in Chirurgicis esse versati.

Quanquam Hippocrates in Jurejurando *discipulum à chirurgicis operatio-ibus dehortari videatur: attamen & in iis sum debere esse versatum, monstrat*

I. Cùm ipsiusmet Hippocratis præceptum l. de Medico, & l. de decenti rnat. t. 7. dist. Cornarii; *quo iubet, ut nō lùm medicamenta, sed & instrumenta, c machinas Medicus in promptu habeat:* Hippocrates Medicū vult esse Chirurgum.

um aliorum illustrium Medicorum, inprimis verò Galeni *exemplum, qui tam alibi, uàm* l. 6. meth. med. c. 6. *disertè fatetur, e opera chirurgica citra alterius ministri opem suis manibus perfecisse.* Galenus fuit Chirurgus.

Chirurgorum imperitia multi pereunt.

II. Cumq́; bonorum artificum tanta hodiè sit penuria & difficultas, *ut priscorum exempla Medici hodierni quandoq; imitentur, tam utiq; necessarium est, quàm quod maximè. Quot enim* Chirurgorum vulgarium *inscitia ac negligentia vel omninò pereant, vel saltem in alios affectus pravos & incurabiles præcipitentur, res ipsa passim loquitur. Quæ caussa fuit, ut* Joh. Langius l. 1. Epistolis aliquot *insignes quosdam ipsorum errores superiori seculo publicè detegeret & confutaret.*

A me quoq; quid Mense Martio Anni 1610. *observatum fuerit, peculiaris docebit Epistola, ad* Clarissimum Virum, Guiliel. Fabricium, Medicum & Chirurgum Paterniacēsem Ordinarium *à me perscripta.*

Chirurgus qualis in operibus esse debeat.

III. Præceperat l. de iis, quæ in Medicatrina fiunt, com. 1. t. 23. & com. 2. t. 1. Hippocrates, *agentem, sive Chirurgū debere alterutris manibus opera omnia exercere, & utrisq; simul. Similes enim*, inquit, *sunt. Utrisq; quidem, conjectantem benè, pulchrè, celeriter, infatigabiliter, concinnè, expeditè: cavendo, ne instrumenta*

vel

l impedimento ſint operi, vel impedimento aſſumptioni. ibid.com.1.t.24.

Quòd ſi ſecundùm iſta, ceu regulam andam Lesbiam, noſtratium Chirurgorum *operationes aliquantiſper quiſpiam aminare incipiat: ecquid, quæſo, quod his nforme ſit, inveniet? Vt enim hoc in loco* Chirurgo illo *(de quo, uti dictum, ad* abricium *aliquantò pleniùs ſcripſi) nil adferam; quàm* malè, fœdè, tardè, nconcinnè, & non expeditè *ſe geſſe- t, in crure, ſphacelo ipſius item culpa antea correpto, & corrupto, abſcindendo: illud amen diſſimulare non poſſum, quòd* dum n medio eſſet opere, ſerra faſciæ *(quâ utem & carnem ſurſum reduxerat)* invo- uta ſit, *ut ab opere aliquandiu deſiſtere ogeretur, dum ſerram è faſcia iterum ex- ricaret.* Hiſtoria.

Atq; hic cùm ſibi, tum aliis, præ cæteris Chirurgis multùm ſapere vi- detur. *Ecquid igitur de aliis rudioribus ſperabimus?*

Optandum equidem erat, ut magiſtra- tus *in talium ruditatem, tyrannidem, & deſidiam ſeveriùs animadverteret! Sed*

ferendum, quod mutari non potest.

Chirurgi & Pharmacopœi extra ꝓpriæ artis pomœria sæpe evagãtur.

IV. Deniq; cùm Chirurgi *in reliqu. Medicorum officia aliquando insiliant* (*quod* Pharmacopœi *etiam non rarò attentare solent*) *medicamenta vel purgantia, vel alia, magno sæpè ægrotantium cum incommodo, intra corpus propinando: quidni* Medico *pariter* Chirurgorum opera *peragere liceat, quem in ipsis versatum esse decet? Turpe enim est*, inquit Petrus Severinus in Idea Medic. Philosophic. c. 3. *præsenti Medico desiderari ministros Medicinæ. Et* in sanguinis missione sæpè mora nocuit: *nec venas opportunas secare possunt communes Chirurgi.*

Caput IV.

De caussis, propter quas Medico medicamenta componere licet.

Eos, qui perfecti & non vulgares Medici *futuri sunt, non solùm nôsse debere, quomodò formulam alicuius remedii artificiosè præscribant; sed etiam ipsi propriis manibus concinnare possint, inde liquet.*

I. Quòd sæpè contingit; ut Medicinam alicubi facturi, Pharmacopolis *destituantur.*

II. Quòd quamvis Pharmacopolis non [...]*stituantur; ii tamen, qui ad manus sunt,* [...]*eò* ignari sint & ignavi; *ut multò sa*[...]*us sit, ipsis penitus carere, quàm in ægri de*[...]*mentũ uti.* Mercurialis l.3. de comp. [...]ed. c.1.

[...] *Eruerit enim Medicus ex antiquorum* [...]*onumentis aut recentiorum observatio*[...]*bus præstantissimum ad alicuius morbi* [...]*ofligationem remedium: conficiendi for*[...]*ula mittatur ad Pharmacopæum; hic alia* [...]*gitans rem committit* servo vel igna[...]*ssimo; forsitan & servus de aliis sollici*[...]*s, huiusce præparandi curam demanda*[...]*it* ancillæ: *quocunq; tamen modo com*[...]*siti medicamenti precium in adversariis* [...]*dulò inscribitur. Quòd si exhibitum no*[...]*uerit:* Pharmacopœus crimine solvi[...]ur. *Profitebitur quippe; se ex Medici præ*[...]*ripto exactissimè confecisse: quamvis ne* [...]*anum quidem admoverit, ne simplex ul*[...]*um, è quibus componendum erat, vel no*[...]*erit, vel inspexerit. Culpa igitur omnis in* [...]*Medicum reiicitur.* Sic *scilicet istis ægri* [...]*vitam, & Medici famam periculo impunè* [...]*ic*[...]*t subiicere.* Renealmus in præfat. [...]up. suar. curat. observ. *III.*

Pharmacopœorũ ignavia.

Pharmacopœi sæpe quid pro quo accipiunt.

III. Quòd non rarò Pharmacopœi 1. *alii rei, uti modò dictum, intenti.* 2. *Medici manui minus assueti*, 3. *Cognatis simplicium appellationibus seducti, pro voce* Amomi Ammoniaci, Aparinæ Asarinæ, Apii Opii, Corallinæ Corallii, Croci Cocci, Diacydonii Diacodii, Electri Elaterii, Enulæ Esulæ, Farfaræ Furfuris, Maceris Macis, *&c. legũt,*

Si igitur Medico absente tale quid eveniat: ecquid futurum putabimus? Ecquid, quæso, aliud, quàm (nisi formulam præscriptam vel ipse attentiùs relegat, vel Medicum super ea consulat) ut fel pro melle, ac venenum pro remedio *sumat?*

Falsa succedanea substituunt.

IV. Quòd si fortè-fortunà lecta, ac vel dextrè, vel sinistrè intellecta, in officina sua non reperiat, nec rem ad Medicum item deferat: de succedaneis *cogitare, & medicamento longè adhuc absurdiora suo arbitratu immiscere aliquando solent.*

Quid igitur à talis medicamenti usu exspectabitur? cùm pro præsenti re commodorum succedaneorum electio, vel perito Pharmacopœo; *imò* Medico *quandoq; ipsi non parum negotii & molestiæ facessat.*

V.

V. Quòd nonnunquam Pharmacopæi pro recentibus obsoleta: 2. pro integris corrupta *capiunt; ne quid damni res familiaris patiatur.* Obsoleta & corrupta miscent.

Atq; hæc fieri animadvertas; tametsi Pharmacopæus nullo odio *adversus Medicum flagrat.*

VI. Si verò & istud auctarii quasi loco accedat: quid tandem futurum confidemus? Pharmacopœi sæpe odio adversus medicũ medicamenta malè præparant.

Ita videlicet ab uno propemodum Pharmacopœo & ægri salutis, & Medici famæ pendet incolumitas.

Hæc & similia apud animum suum diligentiùs perpendentibus, ecquid vel dubii, vel obstaculi, ampliùs superesse potest, quin ocyus exclament, rectissimè facere Medicos, qui singularia & nobiliora quædam medicamenta domi suæ præparant? *Et quis sodes! melius medicamenta parare possit, quàm Medici?*

VII. Vt enim rem à simpliciũ delectu *auspicemur; in quo propter Seplasiariorũ miras fraudes & imposturas (de quibus jam olim conquestus est* Plinius l. 16. nat. hist. c. 10. l. 29. c. 1. & l. 34. c. 11. nec non Galenus ipse l. 1. de Antidotis c. 2.) *nõ leve momen-* Seplasiariorũ fraudes quo ad simplicia à Medico melius cognoscitur.

momentum consistit: Medici profectò periti materiæ Medicæ differētias certis signis expeditiùs internoscere valent, quā alius quispiam ignarus, cui ipsa vix ac ne vix quidem competentibus verbis delineare possis.

Galenus quorundā simpliciū gratia peregrina loca adiit.

Hinc Galenus *ipsemet in Insulam Cyprum navigavit, ut illic verum* Misy, Sori & Chalcitidem *nancisceretur: cujus tantum pondus illinc se avexisse testatur* l. 9. de simpl. med. facult. sub titulo Misy, *ut ipsi ad annos plus minus triginta sufficeret.*

Galenus apothecā habuit.

Sic in Syriam Palæstinæ Bituminis, *& aliorum quorundam inspiciendorum: sic in Lemnum* terræ Lemniæ *reportādæ caussâ profectus est, & huius sphragidum millia viginti secum inde avexit,* ut videre est l. 9. de simplic. med. fac. sub titulo de differentiis nominatæ passim terræ: *atq; in suam privatam rerum pretiosarum apothecam recondidit; qualem se habuisse scribit* l. 1. de Antidotis c. 13.

In modo medicamenta cōponendi magnum sæpe requiritur artificiū.

VIII. Si simplicia 1. dextrè præparanda. 2. ex ipsorum permistione cōposita artificiosè formanda *sint: talis nonnunquam requiritur cùm dexteritas,*

tùm

litas, ut utile ab inutili, & purum ab puro secernatur; quæ nec mente satis con-, nec verbis sufficienter exprimi, sed solo addisci queat. Zuingerus l. hacte-s c. pag. 244. *Imò non raro plus in mo-componendi; quàm materiâ seligendâ, selectâ ritè dignoscendâ, momenti posi-m est.* ibid. pag. 229.

Patet hoc ipsum

1. *Non solùm ex aliis quibusdam, sed primis Theriaca;* teste Galeno l. 1. de ntidotis c. 2. *Hic enim docet, cur alte-us* Theriaca, *secundùm libri lectionem nfecta, post annum tertium vinum redo-erit; alterius verò acida facta sit.* Theriaca diligẽtem præparationẽ requirit.

2. *Patet idem è* medicamentis Chy-nicis: *quæ legitimè & accuratissimè præ-urata esse quanti intersit, usus ipsorum sa-is docere potest.* Medicamenta Chymica dextrè p̃parãda.

Inter ea autem tam Vegetabilia, *& uæ ab* Animalibus *desumuntur, quàm* Mineralia & Metallica *optimè præpa-ari plurimum refert. Quantoperè enim ro diverso præparandi modo viribus in-vicem differant, vel* semestri Chymico *non obscurum esse potest.*

Quan-

Quam medicamentorum præparationem si quis carpere, vel more quorundam in universum perperam damnare non vereatur; eum ablegamus ad libri nostri 1. part. 2. sect. 5. class. 3. c. 6. quæst. 2. & 3.

Talium ergo præparandi rationem si quis Pharmacopœo *semper committere vellet: quanto id, non cùm Medici tantùm famæ, verùm etiã ægri salutis fieret dispẽdio?*

Nobilissima medicamenta à Pharmacopœis sæpe Empiricis communicantur.

IX. Quòd si eveniat, ut Medicus Pharmacopœo in his satis sedulo *sine omni metu talium præparationem concredere possit:* Pharmacopœus *tamen* sui quæstus majorem, quàm vel ægrorum salutis, vel Medici existimationis rationem habeat: *profectò facilè fieri potest, ut nobilissima medicamenta (quæ propter evidentem successum* Θεῶν χεῖρας *rectissimè appellamus) vel prostituta* indoctissimis audacissimisq; Empiricis *cõmunicentur; vel corrupta & vitiata auctoritatem suam amittant.* Quæ verba è Zuingeri volumine 4. Theatri vitæ humanæ l. 2. fol. 1240. cum filio l. c. pag. 222. repetimus.

Atq; hæc caussa est, quòd præstantissima quædam

dam veterum medicamenta, qualia sunt Theriaca, Hiera Pachii, Emplastrum Diachalciteos &c. *idem hodiè non præstant, atq; olim, dum eorum præparatio penes suos auctores consistebat.* De Theriaca *idem suo jam tempore scripsit* Galenus l. de Theriaca ad Pisonem c. 2.

X. *Quamobrem prudenter à veteribus Medicis factum est, quòd ipsi medicamenta* (si quæ præ aliis habuerunt singularia) *propriis manibus confecerunt, Pharmacopœis diffidentes. Hinc*

1. *Ab Antonino & Severo Imperatoribus* Galenus Theriacam componere jussus: *quòd Demetrio, Medicorum primario, eandem conficienti aliâs adstitisset*: ut de se scribit l. 1. de Antidotis c. 1. 13. & 14. nec obscurè innuit l. de Theriaca ad Pisonem c. 12. *Emplastrum Diachalciteos quâ dexteritate & industriâ composuerit*, l. 1. de compos. med. sec. genera c. 4. docet. *Quâ ratione cataplasma ad jecoris inflammationem ex tempore propriis manibus paraverit*, lib. 11. meth. med. c. 16. scriptum reliquit. *Ipse Antidotum è sanguinibus, quam incomparabilem vocat, concinnavit*, l. 2. de Antidotis c. 1.

2. Pachius *quàm secretò suam Hieram, crebris successibus in gravissimis affectibus nobilitatam, confecerit*, Scribonius Largus l. de comp. med. c. 23. auctor est.

3. *Alii Medici excellentes, quales fuêre* Andromachus, Asclepiades, Archigenes, Damocrates, Apollonius, Heras, Crito *& similes, quid non solùm inveniendis, sed & adornandis remediis præstiterint*, apud Galenum in libris de Antidotis, & Compositione medicamentorum, tàm secundùm locos, quàm secundùm genera, *qui scire desiderat, prolixiùs legere poterit.*

Nimirum isti plus rationis manuũ suarum, quàm animi, habendum esse non existimaverunt: quippe qui eódem medicationibus penetrat, quò manus operationibus perveniũt. Zuingerus ibidem p. 241.

Hanc igitur ob caussam Mercurialis *veteres Medicos propter istud humano generi gratificandi benefaciendiq; studium iustissimè laudavit* l. 3. de comp. med. c. 1.

Sed quid in Medicis recensendis laboro?

4. Reges *n. ipsos peculiaria quædã medicamenta adornare, & dein à suo nomine inscribere nõ puduit.*

Mithridates *duarum & viginti gentium Rex, quiq;*, attestante Plinio l. 7. c. 24. *totidem linguis iura dixit, pro concione singulas sine interprete affatus annis 56. quibus regnavit:* ibid. l. 25. c. 2. *omnium fermè simplicium medicamentorum, quæ* venenis *adversantur, vim sedulò expertus est in illis hominibus, qui ad mortem condemnati fuerunt.*

Quo factum, ut remedia primùm peculiariter

pha-

phalangiis, ſcorpionibus, viperis, aconito; lepori marino, *& aliis venenis adverſantia reperit: ex illis verò omnibus commiſtis tandem* Antidotum univerſalem, *cuius deſcriptionem proponit* Celſus l. 5. c. 23. *confecerit; quæ omnibus venenis præſens adferret remedium. Huius uſu frequenti tantum robur proprio corpori conciliavit, ut mortem, veneni lethalis copiâ maximâ epotâ, ſibi conſciſcere cupiens, mori tamen non potuerit:* Gal. l. 1. de Antidotis c. 1. *ſed Biſtocum rogare coactus ſit, ut ſe iugularet.* l. de theriaca ad Piſonē c. 16.

E plurimis autem antidotis ab ipſo inventis unum præcipuè nomen eius retinuit, quod Mithridatium *appellatum fuit.* Plinius l. 25. c. 2.

Tam verò Medicæ rei ſtudioſum fuiſſe perhibet Plutarchus in commentario de diſcrimine Adulatorum & Amicorum, *ut quidam amici & ſecandos, & urendos ipſi ſeſe præberent: hoc ipſò teſtantes, quòd illi in Arte hac crederent.*

5. *Quid? quòd* Dominus & Salvator noſter Chriſtus *lutum ſputo ſubactum oculis à nativitate cæcutientis illevit.* Johannis c. 9. v. 6.

Caput V.

De contrariorum argumentorum ſolutione.

Et dubitabis adhuc, Medico licere domi ſuæ quædam remedia componere? *Numquid?*

I. Medici maiestatem *etiamnum* causabe-ris? Resp. *Cave hoc faxis. An enim*

1\. *Is* Medicis *illis* præstantissimis *insolentior* Mithridate *superbior;* Christo *denique* Salvatore nostro *gravior ac sublimior sit, quàm ut pro ægrorum salute manuaria ista opera ipsum tractare deceat? Equidem quantò is talia acerbiùs aversatur, tantò à veterum Medicorum excellentium solertiâ, & generi humano gratificandi studio longiùs discedit, tantoque minùs cum ipsis conferendus est. Rectè enim* Plinius l. 34. c. 11. *postquàm de nonnullis metallicis disseruerat; hæc omnia,* inquit, *Medici (quod tamen pace eorum dixisse liceat) ignorant, pars maior & nominibus;* in tantum à conficiendis medicaminibus absunt, quod esse proprium Medicinæ solebat.

2\. *Annon sæpè* maiorem molestiam ægrorum visitatione, *quàm medicamentorum præparatione Medicus capessit?*

3\. *Non igitur* illiberalem Artem *exercebit Medicus, si ipse remedia nonnulla confecerit Finis enim coronat opus, & Artem liberalem efficit.* Zuingerus ibid. pag. 241. *Is autem hoc in casu liberalis vel maximè est. Est enim ægri salus atque incolumitas.*

II. An *verò*, Medicum præscribere, non autem operari debere, *adhuc* prætendes?

Resp. 1. *Ast ego cum* Zuingero l. c. pag.

9. & Rulando in Progymn. Alchemiæ
æst. 10. *nego, eum probè medicamenta præscri-*
rum, qui modum compositionis nunquam exer-
rit. Hinc enim fieri ait Libavius in Epistola
per Alchemiam nuncupatoria, *ut Medici*
speculatores crebrò à Pharmacopolis rideantur:
ibus præscribunt operationes, sæpè adeò insulsas &
ptas, ut absurdæ & impossibiles videantur.

2. *Huc quadrat* Hippocratis istud, περὶ ἔργ χειρ-
κάλλιστον διδασκαλεῖον: *&* Galeni l. 1. de aliment.
c. c. 1. sub finem, *neminem è libro nauclerum,*
ut alterius alicuius rei artificem evadere.

III. Num *verò* lucrum, *quod à Medico è præ-*
ratione medicamentorum exspectari suprà dice-
tur, porrò obiicies?

Resp. 1. *Verùm crede mihi, si Medicus non*
m ægrorum saluti, quàm propriæ famæ incolumi-
ati attenderet: paterent ipsi aliæ viæ quàm pluri-
æ, per quas etiam citra laboriosam & tædio-
am istam remediorum præparationem *lu-*
rum aliquod acquirere posset.

2. *At videsis, quid* Pharmacopolæ *utpluri-*
num facere soleant: qui ultra precium constitu-
um plerunq; plura exigere consueverunt.

IV. An vereberis, ne fel pro melle, aut ve-
nenum pro remedio exhibeat?

Resp. 1. *Atqui Medicum* iuxta Hippocratis

juramentum *virum decet esse bonum: qui, ut po* Scribonium Largum in Epistola ad Caium Jul. Callistum scribit Sēnertus quæst. Medic 57. *ne hostibus quidem malum medicamentum dabit, cùm Medicinæ sacramento legitimè sit obligatus: sed persequetur eos, cùm res postulaverit, ut miles & civis bonus omni modo. Quia* Medicina nō fortuna, neq; personis homines æstimat: *verùm æqualiter omnibus, implorantibus auxilia sua, succursuram se pollicetur, nulliq; unquam nocituram profitetur.*

2. *Numquid periculum istud non multò magis à* Pharmacopœo *metuendum? Potet enim alicubi Pharmacopola, aut ludat, &* semestri pusioni, *Medico non præsente, omnia committat: annon facile sit, ut medicamen tundatur in mortario, in quo priùs venenum; aut* è pyxide, *cui quidem, sed falsò, adscriptus est Pompholyx* depromatur arsenicū? *Cuiusmodi mille evenire posse rectissimè monet* Libavius in Alchymia triumphante pag. 414.

V. An ægrorum indies visitandorum multitudinem causaberis?

℞. 1. *At non omnia promiscuè, sed* secretiora saltem & præstantiora medicamenta *Medicum domi suæ parare volumus: qualium præparationem nec ipse* Riolanus Maniæ p. 62. & Bruno Seidelius de morb. incurab. pag. 56. *Medico denegare potest.*

2. *Neq;*

Neq; opus est omnes ægros pluries singulis die-
nvisere. Vide hujus libri part.3.ſ.4.c.2.
Concludo igitur: Medico licere medicaměta
edam peculiaria, non vulgaria, quorumq;
npositionem Pharmacopœo ſatis tutò
nmittere non auſit, domi ſuæ compone-
tem Chirurgicas operationes quandoq;
miniſtrare, citra dignitatis ſuæ diſpendiũ;
Valleriolâ *confitente, qui* l. 6. Enarrat. Me-
. 4. *ſtrenuè & pro virili defendit, tam Pharma-*
xi, quàm Chirurgi officia à Medici officiis, non
tempore ſolùm, ſed & olim fuiſſe diſtincta.
Etenim ſi nos hæc diſcentes interdum facimus,
inde facimus, atque gubernator remigandi peri-
, & facilè ſummum malum conſcendere valens,
omnia alia nautarum munera cognoſcens & exſe-
ens. Gal.l.6.Epidem.com.5.t.1.
Quare Medicus nullo modo ob id vituperandus
ſed potiùs maximis laudibus extollendus, ac inſu-
honore atq; præmiis ad ſtudii iſtius continuatio-
invitandus. Quod de Julio Contareno *in ſimi-*
rgumento dixit Horat. Augenius Epiſt. Me-
c. Tomo 2 l.8. Epiſt.1.

Concluſio utriuſq; Libri.

His ergo omnibus & ſingulis, *quæ utroq; Li-*
o dicta ſunt, diligenter penſitatis, concludo:

verè

verè & rectè *in sua Lege* dixisse *Hippocratē*; quòd Medicina omnium Artium sit pręclarissima; sive ipsius *Originem & Initia, Incunabula, Profectus & Incrementa; sive Materiam; sive Finem; sive eos*, qui ipsam exercuerũt, & omnia deniq; quę ad eam pertinent, respicias. *Tiraquellus Tomo 1. de Nobilitate c. 31. §. 1.*

LECTORI BENEVOLO S.

In calce hac, *Lector amice*, amicè à nobis monendus es: quòd non levia quædam errata partim inter describendum, partim excudendum irrepserint. Quæ etsi lubentissimè hûc annotare voluerimus: attamen cùm propter chartæ defectum, tum pręli festinationem non licuit. Annotaturi nihilominus illa, atq; Indicem rerum locupletissimum addituri: quando *Tertium de hoc argumento Librum* proximis nundinis Vernalibus publicabimus. Interea igitur, ubi inter legendum occurrerint, tute pro tua prudentia ipsa corrige; labores hos nostros boni consule: & nobis fave. Quòd si hos nostros labores tibi non ingratos fuisse intellexerimus: operam diligentem dabimus, ut *Epistolarũ Philosophico-Medico-Chymicarum Libros aliquot* quamprimùm tecum communicemus, atque *Opus de Febribus malignis in universum* elaboremus. VALE.

FINIS.

H–

2